BENNONIS
DVRKHVNDVRKHI
SLAVI

N. 12169

In Spenti Academici Sepulti Epiſtolam,

Pro Antiquitatibus Etruſcis Inghiramiis:

Aduerſus Leonis Allatij, contra eaſdem Animaduerſiones, Examen.

ALESSANDRINA

27

Coloniæ apud Georg. Genſelinum.

M. DC. XLII.

Perilluſtri, ac Generoſo
D. CHRISTOPHORO
BARONI IN TELCHE,
Domino in Schnarpis,
ſuo colendiſſimo.

QVOD diu nihil ad te literarū dederim, Perilluſtris Chriſtophore, argumenti inopia fecit; nihil enim mihi in vmbraculo degenti, cum Luſitanicis, Gallicis, Flandricíſque ſucceſſibus: recentes verò Inſubriæ, adeóque ſacratioris Italiæ contra Parmenſem motus, tibi notiores, qui ſi non mediis in caſtris, non longè verſaris. Vnum te ſcire velim, peractis Comitiis Ratiſbonenſibus, cum Cæſare Viennam me profectum, vt ſi quid facere me, tui cauſa in poſterum velis, ſub quo Cœlo degam,

noueris. At ridebis opinor, & Muſæo aſſuetum, in Aulas influxiſſe miraberis? Rectè, ſed hoc quoque tuæ gratiæ debeo. Miſiſti ad me nouas vetuſtates, Etruſcarum ſcilicet Antiquitatum fragmenta; & fragmenta quidem, nihil enim in iis integrum. Dum inhæreo, & nihil non otij frango, adſunt inopini fures temporis, amici, ad fallendas curas euocant, ſolitò moroſiori (videbar quippe Lunæ concilio intereſſe, & Lucomonem agere) librum è manu rapiunt, inſpiciunt, mirantur: & vnus aliquis, tu iſta de nouo cudis, vt nuper ille repertas, in monte Granatenſi laminas. Non, inquam, ego, ſed, cuius nomen præfertur, Curtius Inghiramius ex tenebris eruit, nouo hoc theſauro mundum radiaturus. Hic vbi de theſauro audiit, nugaris, ait, an ſeriò? Vtique reddo, non legiſti illud Plauti, *faciunt quod conſueuerunt, irradiant ſalibus menſam omnes ad riſum prouocant*: ſed ne hæreas, liber hic qua humo theſauri tegantur, quoue modo

inuenti

inuenti effodiantur, docet; nec barbaris verbis, vt ille apud Iamblichum, ſed apertis, & ſemilatinis in cortice, ſenſu tamen, & medulla velatis, quæ niſi Vadimonis ſacris initiatis, haud plana euadunt. En inuolucra. *Caue, Caue, Caue, Proſperus Feſulanus huius Caſtri accola, arcis cuſtos, vaticinatus eſt anno poſt Catilinam extinctum, Theſaurum inueniſti, locum ſigna, & abi.* Legit iſte, obſtupuit, verba, myſteria. Et quia de Vadimonis ſacris dixeram, fortè Dæmonem accipiens ſociis clam annuit: vnà omnes me valere iuſſo, abſceſſere. Quid multa? diuulgant, Magia me occupatum, habere Dæmonem obſtrictum in viſcera terræ, ſi iubeam, penetrantem, defoſſas opes egerentem. Continuò acceſſunt proceres aulæ, curioſè inquirunt, ſubrideo: neque enim aut Inghiramium prodere, aut de me fateri decorum videbatur: verebar tamen, ne ſi quid Religionis æſtimatores inaudiiſſent periculi foret. Tum vnus ex illis: Eſt mihi, inquit, non longè Vienna ad Cæcium

montem Villa, in qua conſtans fama eſt, Naïthardum iucundæ Philoſophiæ ruſticum, magnam auri vim condidiſſe muro areæ circumducto, cuius hodiéque rudera extant, nemo tamen pedem inferre auſit, ne à ſpectris vapulet. Huius rei cauſa mecum proficiſcaris oportet, & ſi quid ex fatidico iſto volumine profeceris, inuentorum ex triente participem dico. Quid mihi putas animi hic fuiſſe, Perilluſtris Chriſtophore, qui præſtigias nunquam amarim? ſpondeo tamen profectionem, certus vel vocabulo, *Scarith*, ſæpius inclamato, credulis me fucum facturum, vbi peregrinam harũ Antiquitatum lectionem exaugurando adhibuiſſem.

Vt primum Viennam venimus, neſcio quo ſydere, mihi an Inghiramio magis infauſto, adeſt, qui Præſidi librum porrigit, recèns Pariſiis editum. Præferebat. *Leonis Allatij animaduerſiones, in Antiquitatum Etruſcarum fragmenta, ab Inghiramio edita.* Is ad me conuerſus, vide, ait, quid libri ſit: hæſi, initio exiſtimans

Leonem

Leonem Allatium Inghiramij ſcholiaſten factum. In dedicatoria ex vngue agnoui, expallui, ſic mecum, nihil mihi lucrifecerit Inghiramius, quin & iacturam nominis vterque fecimus. Senſit Præſes errare in vultu ſanguinem; ecquid, inquit, de homine ſentis, vbique ſcriptorum gloria, & lingua cluente? Græcus eſt, inquam, & fortunis aliorum liuens: nam qui omnes bibliothecas Romanas, pluſquam ſorex obſoniorum repoſitoria luſtret, vt, aliquid abſtruſi proferat, Inghimarij in ſuo ſcornello diuitiis inuidet. Hem quantùm lingua abundat, quidquid inceſſit Græcolatinus calamo verſatili euoluit, ſcilicet vindex Athenarum, vt huc Latina ſpolia referat, Tullium ex aduerſo æmulatus, qui Græca inde Romam auexit. Eat verò, eruat & ipſe Hymetti montis auri fragmenta; an fortè aurum ſe futurum exiſtimabat, ſi hæc Inghiramij fragmenta arroſiſſet?

Hîc Præſes, faue linguæ, Leo Allatius in paucis eximius eſt, erudito-

rum ſignifer, id propter Romanæ Curiæ pretioſus librorum Cenſor, cuius virgam, ſi impingas, haud effugias. Eſto, inquam, an hic de Apocryphis cernendum? an Cæcilij Apocalypſis, Merlini fatidica, & id genus nugamenta cognoſcuntur? Proſperus Feſulanus innoteſcit, hactenus à ſæculis abditus, Catilinæ quondam Vrbe exacti familiaris, vno ſecundùm hunc extinctum anno, temporum orditur epochen, & non intellecta pandit vaticinia. *Porcum de grege Porcorum venturum, qui labores canis* (oſſa intelligo) *deuoraturus eſt.* Item. *Porcus in canem dentes acuet, canem ventus defendet* (puta caudam agitando) *abiectus reuocabitur, grunniet ſus ſordidiſſima,* (emittendo) *prudentia canem tutabitur, nequitia porcum.* Item. *Vultur, & coluber ſimùl iungentur, naſcentur ex eis turtures: quæ, vt Aquilæ volabunt; ſed non attingent finem, expectabunt rorem, & non erit ros, nec pluuiæ eas ſaturabunt, verum Tyrrhenum mare guſtabt.* Neque hoc ſolùm, ſed *quid patria nobis, amicis, filiis,* &c.

&c *poſt mille annos, & plures futurum ſit, augurandi arte, & per aues nouit.* Quid ad hæc Leo Allatius? viderit ne quid ſibi ſiniſtri obnuntiet Proſperus, comminatus iis qui in inuentorem harum Antiquitatum iniurij fuiſſent, ludibrium, rerum, vitæ, & honoris iacturam, vt niſi iam morte repentina luerit Allatius, nihil veri à genitore ſuo Veſulo didicerit Proſperus, nec naturæ arcana magis, quàm aſinus lyram nouerit, nec denique Dij per huiuſmodi graccu-lum quicquam patefacere voluerint. Quæ tamen dicere nefas. Reapſe enim Proſperus Feſulanus vates antiquæ ſanctitatis fuit, ante aduentum Chriſti Chriſtianus, qui, & hominis à *Maximo Eſare creationem* agnouit, & *liberum arbitrium* eidem inditum contra hæreticos propugnauit; ob quæ omnia, cùm vnam præ cæteris, vt ipſemet fatetur, veram augurandi artem edoctus fuiſſet, Collegio aſcriptus eſt.

Tum fortè vnus ex aſtantibus, (Togatus erat) heus bone vir, in-

ſtrepit, Leo Allatius, (quod heſternæ eius litteræ loquuntur) & valet, & calamo bellè agit, vtinam tu cum tuo Proſpero, tam proſperè. Inauſpicatiſſimus iſte mortalium, ita viſcera mihi turbauit, vt niſi ſpaſmo totus riguiſſem, didiciſſet quid ſit pugno cædier. At ne penitùs animo linquerer; adducto, vt potui, ad humeros pallio, quaſi reſpondere dedignatus, abſcedo: & recta ad pharmacopæum pergo, præſenti aliquo amuleto calorem ad præcordia reuocaturus. Is dum parat fortè inter cucullos recentia quædam chartarum folia ad vſum vaſarij aptata conſpicio: ecquid quæro hic noui? quid, inquit, noui eſſe queat, quod in ſcrutario væniit, & nobis ad retrimenta paratur: illico porrigit folium nondum diſciſſum. Lego. *Lettera ſopra il libro intitolato, Leonis Allatij animaduerſiones, in Etruſcarum Antiquitatum fragmenta.* O maxime Eſar, quid hoc, aio monſtri, capite barbaro, corpore Latino: Et dum diras in caput Allatij ſuſpicor; ſine, ſine (altiùs inclamo

mo pharmacopæum) ſerua, theſaurus eſt; ſimul occurrit illud Proſperi, *Theſaurum inueniſti, locum ſigna, & abi.* Scilicet, inquit ille, in cachinnos effuſus, tibi theſaurus eſt, quod nobis, & ſalſamentariis extergendo ſeruit, cape quantum lubet ex hoc Theſauro; per me diteſce. Abeo totus lætitia geſtiens, conſciſco vires non amplius memor amuleti. Ad ſecretiora domus Præſidis, vbi cubiculum paratum habebam, me confero, reuoluo ſchedam. Sed ô barbariem! vix aliquid Latini offendo, Gothicas duntaxat, & Longobardicas mixtis ſubinde Latinis fæces; an quia foſſor Latinè non intellexit, an potiùs nè erubeſceret ab eruditis intelligi noluit, Scytha cum Romanis Scythicè loquutus.

Ad forum pergo metaphraſtem quæſiturus, & fortunato Vandimone audio, in proximæ domus fumario clamantem & ferro runcinantem ex eo hominum genere; quos Vallis Tellina, & forum Iulij emittit ad verrendos per Europam caminos.

Annuo

Annuo vt ſe demittat, illicò paret, fuliginémque ruſco depurgat: quæro num legere norit? nequaquam ait, alioquin Academicus futurus eram: num Gothicè? Reſpondit, ſibi per varias Europæ prouincias caminis, & furnis purgandis occupato, adhæſiſſe non nihil peregrinorum idiomatum, quamuis non ita terſum, vt chartis inferri, niſi fragmentorum inſtar, queat, iuberem porro, quid vellem. Tum ego ex ſcheda prælegens. *Mio Signore Agli oblighi antichi, che io deuo al Signor Curtio Inghirami, & a V. S. s'aggiunge queſto nuoue, & ſegnalato, d'hauermi paſſato l'ozio d'ella villa ſenza ozio.* Quæro an intelligat? etiam ait, eſſe vero ex Dalmatica, Venedica, Laponica, Gothica, Sclauonica, Longobardica, Nortmannica, Hunniſcythica, mixtum genus, quod nos in Valle Tellina Tuiſcanum vocamus, & ex parte, ſed correctioribus dialectis vſurpamus. Papæ, inquam, eruditus es mi lignyphage (hoc ei nomen, & cognomen Miſconio) ede porro

ſenſum

ſenſum ex verbo. Faxo ait; & reddidit iucunda phraſi, nec ſine riſu, quod diceret plus fuliginis hoc ſchediaſmate quam totis Volaterrarum caminis contineri. Incantamenta putaſſes & diras in caput Allatij, niſi ex obſcuro argumento vtcunque patuiſſet, voluiſſe hunc ſcribam, defenſorem agere Curtij Inghiramij, neque tamen intellexiſſe quid negotij ſuſcepiſſet, ac tantùm ſine ordine & arte ſcripſiſſe quæ dictata excepiſſet : hoc munere diſputatorem ſe imaginatus, vt baiulus Iſidis, Sacerdotem, quod huius ſimulacrum vexiſſet. Rectiùs fortaſſe compararim ſimio, qui Apollinem ad lyram cantantem contemplatus, & dulcedine captus, vt prope acceſſit, diducto rictu, motum labiorum imitatus, cantor videri volebat, mox fidentior ſui, & guttur in edendum ſonum cogens, non tam turpè ſtridere, quàm fœdè infernè reflare cœpit. Ideo irato Apolline dum repentè fugam arripit, verſa poſtica parte, cauda truncatus, & glaber euaſit. Mirificè,
ſed

ſed etiam ridiculè hac fabula, ad huius Epiſtolæ ſcribam alludit lignyphagus, mihi tamen ſatis eſt, ſcribam hunc eruditum videri voluiſſe, neque tamen ad iram, ſed ad riſum eruditos mouiſſe.

En verò tandem eluctantibus hanc barbariem in fine ſe prodit nomen ſcribæ, ingenioſa planè epigraphe, digna Proſerpinæ Templo, aut Caci ſepulchro. *Lo Spento Academico ſepolto*. Proh maximum Examen, quid hoc incantamenti? quid myſterij? quid nominis? de quo an aliquid vetuſti diuinandum ſit hæreo. Inghiramium cognomentum in ipſis fragmentis innoteſcit, genus antiquum, honorabile. Spentorum Academicorum Sepultorum familia mihi obſcura; ſubterranea, defoſſa, nec niſi carmine Feſulani euocanda. An *Spento* Spinther ille hiſtrio Romanus initium dedit? Suggerit lignyphagus, eſſe in valle ſua Spentos, qui ex quodam Spentophlago Slauorum pyrata originem iactant: fac ita eſſe. Quid de cognomento

Academi

Academico? exiſtimarim ab Acea Laurentia nobili ſcorto, quæ ob id lupa dicta fuit, deriuatum, niſi potiùs ab Accone anu decrepita, quæ faciem ſenio deturpatam ad ſpeculum explorans inſaniit? Iterum ſuggerit eruditus lignyphagus, deducendum à Vaccana celonia, quæ olim ad lacum Larium Vulterranis parebat. Rectè, ſed dicendum erat, *Vaccademico.* Equidem mallem à gymnaſio Athenienſium Academico, à quibus Latini traduximus repetere. Quod ad agnomen ſpectat, id quoque ex Latino ductum eſt, ſed mediam occupante barbarie. Demus, dum intelligamus. Sepulti ergo fert agnomen, vt fætidum quid, atque cadaueroſum ſonet, eóque Leonis ingenium cautè declinet, nihil quippe Leoni cum cadauere; non attrectat, contemnit.

At fortaſſe non mortuus, ſed viuus latet *Spentus* iſte *Sepultus*? vix profectò, nam vt eruditior factus innuit lignyphagus. Spentus Italis extinctum refert, ſi extinctus, qui viuus? qui item ſepultus, viui niſi

maximis

maximis de criminibus non ſepe-
liũtur. Si metaphoram amat, quia la-
tere cupit, vt leonem fallat, amet
etiam ferátque libentiſſimè, vt fi-
lius Terræ dicatur; adeóque in ſuæ
matris aluo conditus, ignotus, planè
defoſſus. Rectè monet lignypha-
gus. Theſaurus eſt inter fragmenta
ſcornelli: abditus, olim eruendus:
ſed interim, quo Scarith inſutus, cu-
leo, an vtri, bitumine, an pice colli-
tus? Nam aliquid de ipſo præſenſit
Proſperus Feſuianus? An fortaſſe ad
eum ſpectat illud: *Veniet Porcus de
grege Porcorum*? ſcilicet emerget ali-
quando, actum fortaſſe, vt quon-
dam viſo Bubone luſtrata eſt Roma,
ita detecto, vel potiùs effoſſo hoc
Spento, & Spinturnice luſtrabitur
Ciuitas Vulterra. Tunc enim verè
miranda fundet auguria, quibus
Leonem Allatium percellat, qui
tamen ſi interim ſæuire pergat; ve-
reor ne nouas has Antiquitates con-
ſeneſcere minimè ſinat, niſi fortè ſe-
pulti ſpectrum è ſepulcro prodeat,
& qui viuus congredi formidauit,
mortuus

mortuus in obſcuro muſſet. Videamus quid tandem.

ſ. *Sono concorſo col'opinione.* Pag. 3.

POſtquam neſcius quid ageret Sepultus, præfari tamen rudi inuentione ex villa & otio accerſita, cœpit, in ipſo ingreſſu apologi potiùs quàm apologiæ ridiculè ceſpitans. Nam vt ignorantiã Latinitatis tegeret, Etruſca Lingua ſibi reſpondendum eſſe dixit: quàm peritè, Etruſci viderint. Veretur Lignyphagus, ne dictum illud de lupo, nec *Ius nec pharmacum* in Sepulto hæreat. Iactabat lupus (apud Steph. Berithium) doctorẽ ſe eſſe; mox à Leone ad conſilium vocatus, non inquit Iura, ſed medicinam profiteor: non multo inde ad eundem ex ſtomacho laborantem ire compulſus, vngues præcidi ſuaſit, ſi liberari amet: quid exclamat Leo; hoc ad dolorem ſtomachi: Faxo tamen vbi priùs in pellem

lem tuam impactos cum eadem retraxero. Ita miſer lupus, *nec Iuris nec medicinæ callens*, pelle etiam luit. Planè ſubdit lignyphagus, perinde Etruſcè ac Latinè gnarus Sepultus, quid ſi argumentis Leonis Allatij vapulet, & lupo iſto magis ridiculè in exemplum abeat. Sed hæc lignyphagus more ſuo. Ego verò te Sepulte ſeriò conuenio, arrogantiam tuam an impudentiam inſuper habeo, nec moror etſi Latinè neſcias, dum in loco videri velis ſcire. In eam te iuiſſe ſententiam dicis, (vt Inghiramio palpum obtrudas) quaſi is in ſua reſponſione rectè fecerit Nogherę, qui Italicè ſcripſerat, Italicè reſpondendo, *vt* reſponſio, quemadmodũ ais, *conformis eſſet propoſitioni*, ſcilicet Italicâ laceſſenti, eadem reponendum erat. Stolidè, Leo Allatius, quem tu potiſſimum plumbeo tuo ſcripto impetendum ſuſcepiſti, Latinè ſcripſit, Latinè ergo reſpondendum fuit, ſi tibi animus eruditus fauiſſet, pari cum eodem ſermone; alioquin ab Allatio temperatum

oportuit

oportuit. Eccui enim bono hæ tuæ quiſquiliæ, intra Italiæ retrimenta cernendæ, quando liber Allatij Latinè factus apud omnes nationes loquitur, & Antiquitates haſce inuentas verſat, omniúmque plauſu ludos agit. Patrocinare ſodes, vt extra Italiam Latinus audias. Inſtat lignyphagus, vel paganis ſuæ patriæ ludimagiſtris vendita, ſi quid habes, iſti de te cernent, quàm bene de Priſciano ſis meritus. Quin etiam iuratus affirmat, Sepultũ à Latino ſermone abſtinuiſſe, ne reſponſionis comparatione Etruſcarum Antiquitatum elegantia deprehenderetur, & perſimilis phraſis geminam impoſturam prodidiſſet; quidni enim? an dubitem, eodem planè ſermone & Sepultum & Antiquitates illas ad amuſſim locuturas fuiſſe? Quid verò, ſi quod modò ſuſpicatus eſt lignyphagus, ne Etruſcè quidem ſapias, Academicè in barbaris barbariſſimè? O ſi tantùm lignyphage poſſis vt hunc infra Tuiſcanos deponas! At opportunè is ingerit, ſuſtine parumper, mi

Domine

Domine Benno; eſt mihi comes itineris, & ſocius artis, Capnotauus, quem in palatij fumario purgantem reliqui, trienniũ:is Florentiæ & Senis carbonarium egit, gnarus legere, & Toiſcanè fari, ſubinde etiam ſcribit, tortis licèt quales hæ Antiquitates referunt, characteribus, hunc, poſtquam interpretem peregi, eo accerſitum, vt videat, an Etruſca hæc Sepulti charta Toiſcanè ſit tincta, & Carbonaria potiùs quàm Academia digna. Modò pergamus, ego interpretando, tu notando. Quamquam meo iudicio facilè obuertat Sepultus, non de ſermone, ſed de genere argumenti ſe excepiſſe, vt quàm eſt fabuloſa harum Antiquitatum inuentio, tam vana & abſurda foret eius defenſio.

§. *A*

¶. *A pena.* Pag.3.

AMaram vocat compoſitionem Leonis Allatij Sepultus, quia, reipſa nihil *aliud eſt*, ait *quàm congeries oppoſitionum ab aliis factarum.* Fac ita eſſe: argumenta Allatij non ſint niſi congeries,vt blateras: non eo tu Sepulte, immunis eras à reſpondendo, niſi vnica hac exceptione, quòd minimè ſis ſatisfaciendo. Nam de cætero plurima, & longè diuerſa attuliſſe Allatium, ſi non intellexiſti, Latini ſermonis ignorantia te fefellit. Arguit præterea ſupinam ignauiam, hanc ipſam reſponſionem, ſi tamen reponſio dicenda eſt, qua Allatium occultè perſtringis, non eſſe niſi fæcem alterius epiſtolæ, quam tu ab Inghiramio ſcriptam doces, miſſis duntaxat iis, quæ manifeſtis ineptiis, & Lemuribus quoque ridendis abdicebant: ſed tu amurcam expreſſiſti, cùm interea nihil olei ex tuo addideris, quo ſaltem ex oleo te ſapere oſtenderes, nec putridum olere malles.

§. Non ha gia egli. Pag. 4.

P*Rocul inſtituto medicorum prudentum nihil dulcoris inſtillauit* Allatius. *quo medicinæ amarorem mitigaret, palatum Inghiramij maledicentiæ veneno minus exaſperaret.* Sed profectò, malè conſulit Inghiramio, quem ægrotum inducit, cui idcirco edulcata potione occurrendum velit, an morituris Antiquitatibus Sepultus ſepulcrum præſagit. Porro ſi Allatius ex alienis compoſuit, & propinauit; his, non ipſi aſcribenda amaritudo, niſi aliquid addiderit, quod aliis non inceſſit. Quemadmodum verò plura ab Allatio appoſita ſunt, ab aliis non cogitata, quæ liber indicat, ita certum eſt, Sepultum, & ſenſu carentem non diſcreuiſſe inter dulce & amarum. Sed nec habere eum apud inferos rationem ex peſſimo argumento licet colligere: neque enim quia compoſuit Allatius ideo medicus, alioqui omnes murarij medici; fac medicum eſſe, an prudentis medici

dici eſt medicamentum nouum ægro propinare, quod nunquam alij? Et peribit Philoſophia ſi argumentis aliorum vti non licebit, eáque vrgere, quæ nunquam rectè, (vt in re propoſita) ſoluta ſunt. Aduertit enimuero id Allatius; aduertere plures emunctæ naris eruditi, & parum refert alieno gladio iugulaſſe, dum ſuo victor brachio iugularit, plurima tamen ſuopte marte, & ingenio excogitata in medium adduxiſſe Allatium, ſi ægri & ſepulti non intelligunt, nihil ad viuos, & ſanos.

§. *Di due artificij*. Pag. 4.

DVplici artificio Allatium vti, ait Sepultus; altero *quòd exclamet, imprecetur, maledicta iactet, modò in Proſperum, modò in Inghiramium. Altero, quòd vt oſtentet eruditionem, multa, ampliando volumini, etſi non ad propoſitum accumulet.*

Ad primum reſpondet lignyphaius. Exclamare inter viuos nihil habere artificij, quod mortuis & ſepultis

pultis negatum eſt. Alioqui ſe facile omnibus non ſolùm Academicis, verùm etiam præconibus auctionantibus palmam prærepturum, quando purgatiori præſertim mane poſt hauſtum vini cremati gutture, ex editioribus caminis ſonore inclamitare ſolitus audientes in foro ſiſtat, ac prorſus attonitos reddat. Addit ſe neſcire etiam quid artis habeant imprecationes, niſi ex eo genere ſint, cuiuſmodi adhibuit Proſper Feſulanus, ſi inuentores harum Antiquitatũ præſcriptas à ſe regulas impoſtura oſtendant, quibus de cætero Leo Allatius bonam mentem precatur potiùs quàm voueat inſaniam. Nec ſecus de *maledictis* ipſe ſenſerit, tametſi paſſim dicta malè à Proſpero nemo non ſapiens iudicarit, nec pauciora in paucis à te Sepulto. Porro oportebat ſignare, quo loco in his exceſſerit Allatius, ne aut non vera dixiſſe, aut neſciſſe Latinè arguatur Academicus Sepultus. Nam quod nouum *Augiæ ſtabulum maleolentiæ, & flagitij plenũ* queratur Allatius

tius, id nec imprecari, nec maledicere eſt laboris impatientem tædere moleſtiarum ex hiſce nouis Antiquitatibus: neque id alienum eſt à munere eiuſdē, in quo cum auctoritate verſatur ſine cuiuſquam iniuria. Vt malè hinc ſuo Proſpero metuat Sepultus, quaſi exiſtimationi hominis imaginarij detractum ſit, qui nunquam in opinionem hominum, niſi recenti hoc figmento venit: ſcilicet detracturus quiſpiam ſit Æneæ, aut rebus Romanis, ſi cum Auguſtino dicas, figmenta eſſe Didonis amores, Carthaginémque ab ea conditam non magis, quàm Volaterras. Quod autem queritur Sepultus non ratione, *ſed topicis mordacitatis, & Criticæ,* egi cum Proſpero, ex ſua Academia pit vbi Topica ratione careat, & uid Ariſtoteli, Tullio, aliiſque Topica ſint, ignorat, ſoricum foramina, ito, non ſedes argumentorum ras. Sua opinor Topica in inuidiam ahit Allatium, quaſi Inghiramij neri, & moribus, iniurium, non cernens in concertatione inge-

B niorum

niorum perſonas cum perſonis non componi. Non hîc genus, non mores impetuntur, res inuenta improbatur, quicunque tandem ad fallendum ſuppoſuerit. Do eum inueniſſe, non inuideo felicitati, nonne eo animo publici iuris fecit, vt cognitioni pateret omnium, & liberum cuique eſſet, ſuam argumento contra proferre ſententiam.

Ridiculus porro eſt Academicus iſte ſemi-Latinus, qui hoc genus diſceptationis in Allatio redundantiam quandam cerebri vocet, ipſe, & cerebro, & iudicio omni defectus. Audi eiectaneæ mentis Philoſophum. *Diſcretum litteratum, ait, parcere oportet perſonis, dicere de vitiis.* Scilicet admittit vitia in Inghiramio, & notari vult abſque nota. O pecudem Philoſophiæ, quæ neſciat inter vitia, & errores diſcernere! Vnde verò illi hæc Topica, quibus ex cauernis Vulterranis? Sed nec veriſimile eſt eruditos illos, quos laudas, hanc notam impegiſſe Inghiramio, aut ſi rem ad cotem adducamus, tam

facilè

acilè ceſſiſſe reſponſo minus pro-
abili vt cum Sepulto fungi vide-
entur.

§. *Ma ben dico.* Pag 4.

ALlatium dicendo impegiſſe in
Inghiramium, præter mentem
nam improperas, Sepulte, quando
on niſi ſemel, idque perhonorificè
eminit Inghiramij; ſi quæ tamen
neceſſitudo nominis, & honoris
m Proſpero, vt ſibi dicta putet,
æ hunc afficiunt, nihil ad Alla-
um, qui communem eſſe Proſpero
m Inghiramio noxam impoſturæ
nquam credidit, neque hac in-
iæ vſurpatione crediturus eſt; niſi
ro id Inghiramius de ſe fateatur, vt
n partiendi ius probri peræque ſi-
vendicet, potiori etiam parte aſ-
pta, ſi lubet. Reſpondit, ais,
ghiramius Nogheræ, aduerſus
ghiramij literas Allatius calamum
inxit; fac ita eſſe; nunquam ab
ghiramio profectas aſſeruit, quod
nen ſi feciſſet, Sepultus inter me-

dia ſepulcra tumultuatus, Manes quoque in Allatium exciuiſſet; quaſi is iniuriâ nomen Inghiramij ſcriptura non ſua grauaſſet, nimium putà credulus volitantibus id genus foliis. Prorſus eodem modo, ſi tuas, Sepulte, nugarum nugas Inghiramio, non ſine fidis coniecturis, & rationibus, adſcribat Allatius; in medium proſiliens Inghiramius plenis buccis negabit; an verò ſi affirmet, continuò quidquid in te iactum eſt, in ſe redundare queretur? & iniuriarum poſtulabit lignyphagum hiſce porrectis nominibus, quæ *Barbarum*, *ſemi-Latinum*, *Latinè imò & Etruſcè ignarum*, *malignum*, *quadrupedem* dixerim *Aſinum*; & ſi quæ ſunt magis accommoda vocabula, in hac Epiſtola deſcripta, vt ea non in te hærere, ſed ſibi imputare amet, eóque lignyphagi mentem inuitam deflectat? Nulla tibi hac in re habenda fides, Sepulte, fide caſſe, vel ſi totus vociferando flammeſcas, ſvt Inghiramio dictam reſponſionem affingas; amouebit ille dubio procul,

cul, hanc à ſe malè ſartam exiſtima-
tionem,niſi tecum imperitus tot in-
conſequentiarum ab Allatio eruditè
contuſarum faber audire malit.Nam
etſi iuuentutis metas nondum ex-
eſſerit, quemadmodum ipſe in his,
& ad Nogheram datis litteris præoc-
cupat, nec vllam præterea ætatis
partem Theologicis ſtudiis accom-
modarit, non ideò tamen dixerim
Latinè eum ignorare, nec quippiam
poſſe cum ratione, & intellectu de-
ducere, quibus notis auctorem ſuum
vtraque reſponſio inſignitum prodit.
Viden quo te præterea honore, &
nomine afficio, vt nolim te duntaxat
neſcire Latinè, ſed præterea non in-
telligere; illud indocti,hoc non ho-
minis eſt. Aſt procul tricis in rudi-
tate pluſquam obtuſa, cur Allatius
earum litterarum auctorem noluerit
eſſe Inghiramium, hæ fortaſſe ratio-
nes mouerint ingenij verſatilis, &
peracuti iudicij hominem. *Primùm*,
quòd Noghera affirmaſſe iactet ad
condendas, & recondendas haſce
Antiquitates,Magnum Etruriæ Du-
 cem

cem Coſmum Guillelmi Poſtelli opera fuiſſe vſum; *Deinde* in eandem ſententiam veniſſe etiam perilluſtrem Equeſtris ordinis virum Caſſianum à Puteo, cùm reuera Noghera diſertè, & ſolùm aſſerat huius impoſturæ architectum fuiſſe Gulielmum Poſtellum, ætate Magni Ducis Coſmi, eandémque opinionem arriſiſſe prælaudato Equeſtri viro. Hinc porrò qui eliciat in eam rem intendiſſe Coſmum, & vſque adeò conſilio, quod aiunt, & manu affuiſſe, procliue etiam affirmet, me Conſule vaſtatam hoc tempore Germaniam, aliáſque Prouincias, quia meis temporibus tot bella eruperunt, vt ad genium Sepulti nihil abſurdius proferam. Immò verò in re præſenti Ferdinandum, qui hodie Etruriæ præeſt, colluſiſſe cum nugiuendulis harum Antiquitatum inuentoribus, neceſſariò ex ſua dialectica deduxerit Sepultus, hac vnica illationis cauſa. Quia hoc tempore viuit & proſperè agit Ferdinandus Magnus Dux Etruriæ. O præclarũ iudicium noui huius

Tireſiæ

Tireſiæ! *Tertiùm* negat Plinium tractare de generibus chartarum, quia titulum à Plinio præfixum, aut non legit, aut non intellexit. *Quartùm:* aſſerit eruditos Romanorum ſcriptis teſtatos vſum chartæ lineæ, tempeſtate Ciceronis exploratum fuiſſe, cùm interea de mente Romanorum contrà opinantium conſtantior ſit fides, quàm vt abrogari queat. *Quintùm,* adhuc verò eiuſce generis chartam, & Auenione, & Romæ in Vaticana Bibliotheca ſeruari ait. Nihil autem horum eſſe vtrobique exploratum eſt. *Sextùm*, Caſſiodorum, noſtratis chartæ meminiſſe, friuolè conatur perſuadere; contrarium Allatius euidentibus oſtendit argumentis. *Septimùm*, Eundem Caſſiodorum literis ad Ioannem Canonicarium datis procuraſſe id genus chartæ pro Regiis Archiuis: tam verum eſt, vt nihil ſimile apud Caſſiodorum legatur, niſi à Latinè ignorantibus. *Octauùm* denique ait ex Etruria vocatos Romam mimos illos, Etruſco vocabulo hiſtriones,

B 4 eoſdém

eoſdémque ludos ſcenicos apud Romanos initiaſſe, vt ex Liuio, & Valerio Maximo contendat; an etiam peruincit primos Tragœdiarum auctores fuiſſe Etruſcos? inſulsè vtique & argumento ad colum, & fuſum facto. Quaſi verò ſubdit de ſe Lignyphagus, quia primus ego ex mea tribu Romæ caminos purgaui, ideò ante me, nec camini nec verritores iſthic fuerunt. Aut quia vicinus meus Mardochus, artis ſutoriæ primus ex Volaterranis in vico noſtro matrimonium & domicilium contraxit, idcirco ante hunc nec matrimonia apud nos, nec ſutores, nec calcei, immò nec pedes calceandi fuerint. Has & quamplurimas alias rudis ingenij quiſquilias, quibus ea Epiſtola ſcatet, prudens præteriit Allatius, & longè ab exiſtimatione Inghiramij haberi voluit, ne nomen vulneraret. Tu verò, Sepulte, ex cadauerosis dubio procul emergens cauernis, omnes diſcretionis limites à viuentibus præfixos tranſgreſſus, vno eodémque contextu auſus es &

Allatium

Allatium inſanè dictis proſcindere, & Inghiramij nomen fœdè traducere, ídque non oblato in re argumento, ſed captata ex friuolis ignorantiæ reliquiis occaſione. Sed enim Allatius te coërcendo, etſi leui manu, iam functus eſt. Quid Inghiramio tecum iuris erit, ipſe viderit, vt ne medicini quidem gratiam, apud ipſum ſi ſapit, ſis initurus. Bellè enimverò, velut ſi quiſpiam affirmet, hanc quoque recèns editam Epiſtolam Inghiramium ſapere, paríque conſenſu itum Florentiam, vt typis mandaretur: nonne vel ſacramento pernegabunt? Id propter & ego exemplo Allatij doctus non affirmaro. Lignyphagus tamen proteſtatur, ſibi quoque fidem (neſcio qua lege) habendam ſi fortè mentiatur, promittítque ſe facturum modeſtiùs ex inſtituto Platonis, à Medicis recepto.

§. *Et alla nauſea.* Pag. 4.

Animaduerto non cerebro tantùm, ſed etiam ſtomacho labo-

rare Academicum, & nauſea, ſeu vomendi deſiderio infeſtari. Compatior imbecillitati ventriculi, eruditionem Allatij ne capere quidem, nedum digerere valentis. Et mirum ſi exigua huius duntaxat farina, aliorum, vt ait, argumentis inſperſa, tantùm mali crearit: quid præſtitiſſet, ſi ſolidiore maſſa ſubacta, bolum faucibus inieciſſet, vix vlla colocynthide ad reiectum euocandum? Porro ne, quod metuit Sepultus, ea farina in ſuo ſtomacho in furfures abeat, & tenaſmum ciect, lacte aſinino potandus eſt.

§. *Siami dunque.* Pag 5.

EX *ſemente oppoſitionum*, inquit Academicus, *quas multi aduerſum Antiqutitates Etruſcas ſtruxerunt, & ad quas abundè reſpondit Inghiramius, liceat mihi lolium colligere, quod immiſcuit Allatius.* Benè ſe res habet: ſed viderit, ne tribulis, vrticis, & lappis in Cœmeterio aſſuetus, triticum non diſcernat: alioqui ex lib. 12.

Tab.

Tab. delendus, inſtar quadrupedis, quod noxiam commiſit. Cæterùm quicquid collegerit, ſuo dorſo ceu molendino deſtinatum animal portabit, ne à Neratio quidem excuſandus, quin, vt cum Plauto loquar, *egregiè battuatur.*

Alle quali l'Inghirami. Pag. 5.

INghiramium ſufficienter reſpondiſſe affirmat Sepultus, ſi id in literis ad Nogheram datis; afflictè profectò, vt gemant huiuſmodi reſponſiones, nulla obiectione expedita: multóque magis ſub incude Allatij, cuius Animaduerſiones tam ſunt fundatæ, quàm debiles, ieiunæ, & inanes contrariæ oppoſitiones, nunquam ſanè in ſcenam iterato inducendæ à Sepulto, ſi cum viuis ſapuiſſet; cui ſi quid tandem iudicij benigna natura induliſit, exerendum erat in euertenda reſponſione Allatij, vt ſuam, vel cuiuſcunque illa fuerit miſeram, & rationis indiguam ſtationem tutaretur, nec tempus in

lolio & zizaniis legendis contereret. Niſi verò ea prudentia anteuerterit Allatij argumenta Sepultus, vt iis miſſis in reliquis regerendis ineptiarum minus obtruderet, ne ſi Allatio reſpondere tentaſſet, in mille ſtolida, & abſurda diffluxiſſet. Scilicet, ſatis fuit illi, vt eſt in Apologo, *vidiſſe veſtigium Leonis.*

§. *Veda primieramente.* Pag. 5.

ALlegat initio Allatium num. 7. ſui libri multis differentem. *Romanos ab Etruſcis accepiſſe diſciplinas, & artem augurandi* id (inquit Sepultus) *lippis, & tonſoribus patet.* Præterea ex Caſtellione oſtendentē, *in caſtro Septij Inſubrium eſſe marmora characteribus Etruſcis inſculpta, quæ temporis indicium ferant, poſtquam ſcilicet Galli in Italiam Tarquinio Priſco regnante venerunt, alioquin,* (*O ſtolidam*, exclamat, *rationem*) *marmor ad hæc vſque tempora non duraſſet. Hinc,* inquit, *colligit* (Allatius) *Antiquitates Etruſcas, ſuppoſititias eſſe cenſendas;*

O

O nouam formam ſyllogiſticam ex conſequentiis Gratiani ductam. Cur potiùs non dixit quod verè dici potuit, hinc colligi Imperium Etruſcorum ad Inſubres vſque pertinuiſſe, ſcilicet, *iuxta monumenta Etruſcorum; Viden' ergo quàm verum ſit, quod à me ponitur, Allatium vti ſuis inaniis extra propoſitum.* Hæc ferè Sepultus ſibi aquila leoni monedula.

Cæterùm Latinè non intellexit, ridiculè vſus putrido adagio inſtar obolarij exceptoris, Allatius loco citato ne verbum quidem habet de ſcientia, & arte augurandi ab Etruſcis accepta: neque eius eſt quod de marmoris æuo aſſertur, ſed Caſtellionis argumento à maiore ad minus, quando ſi durare non potuit, à tempore aduentus Gallorum in Italiam, multò minùs ſi repetatur ætas antiquior. Hîc ſi ſtolidam rationem occlamet, licebit retorquere, ô ſtultam Academici, verè Sepulti, & putridi admirabilitatem, & ignorantiam, qui quia Latinè neſcit, non legit illud Virgilij; *Tantum æui longinqua*

ginqua valet mutare vetuſtas. Neque enim ad eruditum illud ex Græcis adagium reuocem barbarum, quod Latinis dicit. *Vitiat lapidem longum tempus.* Et *ſaxa etiam faciet longum putreſcere tempus*; vt ingenioſè Poëtæ finxerint, Saturnum temporis Deum, ſaxum Iouis loco ſuppoſitum deuoraſſe. Sed quid ego, hæc barbaro, qui dum nouam formam ſyllogiſticam ex conſequentiis Gratiani ductam ſine ſale exprobrat, ex Melitidis, & Corœbi dialectica ſe profeciſſe oſtendit, vt meritò exclames? O ſaxeum cerebrum! ô Dialecticum marmoreum, nulla vnquam arte, & ætate exſculpendum, qui formam ſyllogiſticam ex conſequentiis, non verò conſequentia ex præmiſſis, per formam ſyllogiſticam colligere didicerit!

Atque in hoc genere planè pecudem egit, adeò infra intelligentiam argumenti. Negat enim Caſtellionus marmora illa cum literis Etruſcis tam producto æuo durare potuiſſe: & hinc aſſumit Allatius, quid

idem

idem ſenſiſſet de his chartis, qui marmora haud reſtitiſſe tempori affirmat, nihil profectò magis dialecticè. Sed ô turbidum caput Sepulti: cui non ſatis eſt non intelligere Latinè, niſi etiam infra conditionem mortuorum, hominem ab homine minimè diſcreuerit! quid mirùm ſi paulò antè, Inghiramium, Nogheram, & ſeipſum in vnam hypoſtaſim confudit? Quod vlterius argutatur, *hinc potiùs de Imperio Etruſcorum ad Inſubres protenſo fuiſſe argumentandum, iuxta monumenta Etruſca.* Simile eſt huic, Argo nauim in montes Iſtriæ appuliſſe, quia iſthic inuenta olim anchora. Quamquam Lignyphagus hanc gloriam ad ſuos trahit, vt & mali, & anchoræ partem dimidiam in Valle Tellina haberi affirmet, dimidia Foroiulienſibus conceſſa; & addit neminem ex verritoribus ſui generis, legitimum cenſeri, niſi qui runcinam ex anchora, perticam ex ea malo geſtare probetur.

§. Al

ſ. Al num. 13. *e* 14. Pag. *6.*

DOlet Academico nouis hiſce Etruſcis inuentis ab Allatio barbariem impingi, & non potiùs *ruſticitatem*, *quæ teſte Gellio lib.* 13. *cap.* 6. *tempeſtate illa ſupra Auguſtum in vſu fuit.*

Cæterùm ſi ruſticè loqui, eſt ſine grammatica ſyntaxi loqui, profectò quin *ruſticitas* cognata ſit barbariei, ſi non ipſiſſima *barbaries*, negari vix poteſt. Demus tamen ruſticitatem, vrbanitati duntaxat aduerſari: miror Volterram, (vt etiam ego cum Ruſtico, ruſticè loquar) celebrem vetuſtæ Etruriæ vrbem, & Rempublicam tantæ fuiſſe *ruſticitatis*, vt minus Latinè loqueretur, & quibus artem augurandi tradidit, ab iiſdem viciſſim Latinè loqui non didicerit. Sed parce, Lector, Academicus Ruſticus (ne iam barbarum dicam) Aulum Gellium non intellexit; neque enim negat is, vitioſum id genus ſermonis, quod Attici iuxta, ac

ac Romani Ruſticum dixerunt verè barbarum fuiſſe, ſed tantùm, non hoc nomine vocitatum. Licuit proinde Allatio vti eo vocabulo, quod poſt ea tempora, & à Gellio, & à pleriſque Latinis ſuſceptum eſt. Et quidquid ſit de vſu vocis etiam ante Auguſtum purè, & integrè loquutos pleróſque ibidem Gellius inſinuat; cui ſi ad aures accidiſſent *Proſperus*, *Vulterra*, *Gordius*, & id genus verborum monſtra, næ ille non ruſtica tantùm, ſed pluſquam barbara exhorruiſſet, nec admiſiſſet Ruſtici huius Academici dictum, *illis temporibus nunquam Etruſcos eloquentiæ Latinæ dediſſe operam*. Scilicet nobiliſſimos Augures ſemper vixiſſe plebeios, id ne Proſperus quidem ferat, vt pro *Catilina Ciceroni Conſuli ruſticè ſcripſiſſe* exiſtimetur: etſi quoad reliqua nunquam euincet, barbarum ſe non eſſe, vel ſi *Aſgaria fulgura* intorqueat, vt neque Academicus Sepultus, vnà cum eodem opinor in Gordo, vel Gurdo eruditus; (intelligo iuxta ſenſum Allatij ad rem Proſperi

ſperi, qui nunquam hoc vocabulo Gordon Lydiæ ciuitatem intendit, quam in rerum natura eſſe ne quidem ſomniauit.) Cæterùm mihi Gordus antiqua Slauorum lingua cloacam, latrinámve ſignificat: & præclarè alludit lignyphagus,qui ſermonis habitudine hinc deductum vocabulum *Ingordo* cõiectat. Nec fortaſſe aberret, qui dicat latrinam indigitaſſe Proſperum cùm dixit, *Theſaurum inueniſti, locum ſigna, & abi,* cauta videlicet manu,vt propter hoc Delphico planè inſtinctu ter monuerit, *caue, caue, caue*, manu, viſu, toto corpore.

§. *Paſſiamo a quella lunga.* Pag 6. & 7.

TRansfertur Sepultus ad ea quæ Allatius diſputat, à numero 20. ad 27. Et duas elicit concluſiones, cum duabus aliis Inghiramianarum Antiquitatum compoſitas, ita vt Allatium ex oppugnatore, propugnatorem

natorem efficiat. Prima habetur
um. 22. ciuitates antiquitùs quoque
habuiſſe peculiaria inſignia. Idem ait
epultus, pluribus exemplis oſten-
unt antiquitates Etruſcæ. Secunda
um. 21. *Familias non habuiſſe inſignia*
rta, ſed quamlibet arbitratu ſuo legiſſe
bi ſignum commoditatis, ac diſcriminis
ratia. Idem oſtendunt Sepulto me-
ıoriæ Etruſcæ, ídque clarius euadit,
nquit, ex vno ſignorum non impreſſo-
um, in quo cernitur ſigillum Occi Ce-
inna, diuerſum ab Ennij parentis ſui.
Quid ergo neceſſe fuit tot ſtruicibus inſi-
nium, armorum, ſtatuarum, Gueluorum,
Ghibellinorum, & id genus, niſi ad char-
as inferciendas. Hæc Sepultus ratio-
inari conatus ridiculè, ſeu potiùs
ntelligere ſe oſtentans, quod minimè
ercepit. Perinde iuxta fabulam
Carbonarius & Fullo: Ita ille ne-
cio quis apud Delphos; cùm nihil
ex oraculo intellexiſſet, identidem
repetito ab audientibus reſponſo, ad
ſingula reddebat, idem ſe ſentire cum
Apolline; iterùm verò atque iterùm
quæſitus, quæ mens Apollinis eſſet,

Vos,

Vos, inquit, *audiſtis*, *ego idem ſentio*; Prorſus & Sepultus eadem cum Allatio dicere Antiquitates Etruſcas argutè obtrectat; quid verò dicat Allatius tam intelligit quàm ſimius pictoriam. Scilicet more ſuo Latinè non ſapit. Allatius diſtinguit Arma ab Inſignibus; & his dicit antiquitùs Ciuitates non caruiſſe; arma verò recentiora eſſe, & longè poſt Feſulani tempora, (ſi is vnquam habuit tempora) vſurpata; proinde Inghiramias Antiquitates, niſi aliquot ſæculis poſt Feſulanum excogitatæ ſint, armorum meminiſſe non potuiſſe. Hoc ſi idem eſt dicere Allatiũ atque Antiquitates Etruſcas: perinde mihi erit, inquit lignyphagus, *cacabare*, & *glacitare*. Hæc de prima.

Eadem eſt reſponſio ad ſecundam concluſionem, Academicum Sepultum Latinè non intelligere, (ecquid facit apud Inferos Priſcianus) Allatius loquitur de imaginibus, & ſignis familiarum, quæ non erant arma à parentibus accepta. Sepultus reſpondet, *idem oſtendi in antiquitatibus Etruſcis.*

Etruſcis.Et tamen hæ non loquuntur
le ſignis familiarum, ſed Ciuitatum;
cilicet inſtar alterius illius Acade-
nici ruſtici,non diſtinguit inter oues
x oua, inter cacabum, & dolium.
Quod vlterius de ſigillis non im-
reſſis affert,argumentum Sepulti eſt
le non viſis, & ſepultis. Quæ ſi tan-
lem cogeretur oſtendere,in fabulam
birent, inſtar illius apud Buith. qui
ùm iactaſſet coram ſimplicibus ſe
rocodilum occidiſſe, ſtupentibus
llis; quin inquit & pellem detra-
tam vobis oſtendero: continuó-
que protulit pellem domeſticæ felis;
um illi in riſum effuſi,nihilo, aiunt,
e inferiores ſunt canes noſtri. Sug-
gerit lignyphagus? quid ſi Scarith
Antiquitatum ex pellibus felinis ſint
conſuta?

Sed pergit Sepultus. *Multa ex in-
ſignibus Ciuitatum, quæ Antiquitates
Etruſcæ exhibent, eadem eſſe cum ho-
diernis arguit* Allatius, *Feſulanum* pu-
ta, *Mediolani*, *Vulterræ*. De *Feſulanis
rectè*, inquit, *fortaſſe, quia ſexcentis ab
hinc, & vltrà annis, deſtructis Feſulis,*
ipſa

ipſa non ſubiacuere mutationi, De *Mediolani ſecus: nã Caduceus ſupra Lunam binis anguibus implicatus, diuerſum eſt ab inſigni Vicecomitum, in quo anguis infantem nudum euomit. Longè etiam ſecus de ſigno Volaterræ hoc, in Antiquitatibus refert aquilam. Hodie ſi Allatius perſpicilia adhibuiſſet, non aquilam, ſed gryphem anguem complicantem deprehendiſſet.* Ita Academicus Sepultus.

Facit autem hoc loco, quod canis lapidem iactum admordens, non attenta iacientis manu. Quæ de origine ſigni Mediolanenſis recentiora Allatius refert ex Sigonio, Alciato, Iouio, Taſſo, adde, & Petrarcha, & multò antiquiora ex Pontio Virunio: ex his inquam prodit, aduerſum quos Sepultus, ne hiſcit quidem, fortaſſe ne à mortuis vapulet. Et vide vt ſæpe ceſpitat eodem loco infra animal Bautriuehum. Quæ in his Antiquitatibus arma exprimuntur, eadem aut ſimilia eſſe, iis quæ hodie vſurpantur dicit Allatius. Minimè reponit Sepultus, quando Mediolanenſibus gemini ſerpentes cum Caduceo ſunt

inſignia

inſignia, proinde à Vicecomitum inſignibus longè diuerſa. Proh hominum fidem! quaſi ad internoſcendam fraudem non ſatis ſit ſimilia eſſe, ut hîc aliquid ingenij tribuatur impoſturæ; ne ſi per omnia, eadem aut perſimilia finxiſſet, manifeſto etiam pueris crimine teneretur. In eo ingenium apparuit huius Pitheci, quòd quædam integra reliquit, alia partim mutauit, nonnulla planè corrupit, quorum plura exempla ſuppetunt, nec inuitus huc ſerpit Comenſium cancer ad conteſtandum, & pleraque alia, quamuis abundè ſufficiant, quæ Allatius pro fundanda ſua ſententia in medium attulit hactenus inconcuſſa. Quo verò inſtrumento Allatius ſigna Volterræ inſpexerit, nõ quæro. Mihi certè antiqua ſicut in antiquitatibus Inghiramiis, quamuis intenta acie perſcrutanti diſcernere non licuit, bubonem, an coruum referrent: quin aptatis perſpiciliis, longè aliud, merulam nempe obiiciebant. Denique Lignyphagus meus, fuliginoſos quamuis oculos,

ſed

ſed tubo aptiſſimos intendens, deprehendit veſpertilionem in os anguillæ cacantem. Ita ruſticus iſte, ſed pro ruſtico Academico. Porrò nihil ad rem idem hodiéque eſſe ſignum S. P. Q. R. de inſignibus agitur, non de nominibus inſcriptis. Imperij Aquila. Victoriæ non gentis ſignum gloriæ, potiùs, quàm diſcrimini ſeruiuit; Alemannorum ſerius poſtea deductò à Romanis dominatu diſcreuit Imperium; Lilia Franciæ recentiora ſunt, quàm vt Antiquitatibus hiſce recentiſſimis commodare queant.

Addiderat Allatius probam coniecturam exemplis roboratam, vnde Volaterrani Aquilam ſibi vindicaſſent, niſi tunc appingere cœperint, *cùm Philippus Ciuitatis Epiſcopus anno 1355. Vicarium Imperij per Tuſciam pro Carolo Imperatore egit*. Nugari hîc putat Allatium Sepultus, *quaſi velit à Carolo tributa Volaterris inſignia, cùm non niſi exiguo tempore partes Imperij ſint ſequuta Ghibellinis exactis*. Verùm hoc eſt non intelligere Latinè, multò

ultóque magis Dialecticæ igna-
im eſſe. Nunquam tanti fecit Al-
tius Volaterras, vt diceret, Aqui-
m eis inſignia contuliſſe Imperato-
m: ſed tunc fortaſſe Volaterranos
quilam ſuis imaginibus appinxiſſe
niecit, cùm Philippus pro Impe-
tore ageret, non munere putà, ſed
irpatione gloriæ, niſi etiam adu-
ido. Ad hoc autem parum refert,
laterranos proditionis, ſeu in-
nſtantiæ arguere, & exiguo tem-
re fuiſſe Imperiales, exactos præ-
ea Ghibellinos, quaſi Aquila fa-
onis, & non Imperij, adeóque
manorum ſignum eſſet. Verùm
eſt recondita terris Sepulti erudi-
, vt non diſcernat inter aquilam,
ccipitrem.

§. *Al num.* 32. Pag 8.

NOn ſibi conſtare Allatium no-
tat Sepultus, *eaſdem ſemper fuiſſe*
ras Latinas auctoritate Priſciani, aſ-
ntem, ſi literulis noſtris ſcriptitaſ-
(Latinè) *antiquitatem illam, quam*
C *perpetuam*

perpetuam vult Priſcianus violaſſent. Hæc Allatius. *Non quæro modò*, ait Academicus Sepultus, *ſi hic ſit germanus ſenſus Priſciani, ſatis eſt ita intellexiſſe Allatium*, qui nihilominus num.36. hæc habet, *formas porrò literarum, quas ſic iam apud Romanos ætate Feſulani conſtituimus, antiquioribus temporibus, alias, atque alias fuiſſe, cùm arbitrio hominum ſubderentur, ideoque mutationi obnoxiæ eſſent, nullus dubitat*, &c. *Hinc conſidera*, ſubdit Sepultus. *an verum ſit, quod de hoc homine initio ponebam.*

Recreabar nonnihil, exiſtimans Sepultum incipere Latinè ſapere; ſed concidit illico animus, vt verear hæſurum eum apud mortuos vltra *perpetuitatem* Priſciani, niſi aliquis Grammaticam docturus deſcendat, ſi tamen doceri apud Inferos poſſit, qui inter viuos ignauus fuit. Priſciani verba ſunt, *Apud antiquiſſimos Græcorum, non plus quàm ſedecim erant literæ, quibus ab illis acceptis Latini antiquitatem ſeruauerunt perpetuã*, &c, His ſubdit Allatius. *Si literulis noſtris*

ſcriptitaſſent,

ſcriptitaſſent, &c. Imprimis phraſes Allatij Latinas non intellexit Ruſticus, an barbarus; deinde quamuis eas grammaticè vtcunque accepiſſet, neſciuit diſcernere *antiquiſſima* ab *antiquis*, *priſca*, à *vetuſtis*, neque quid Latinis dicatur *perpetuum*. Priſcianus loquitur de *antiquiſſimis*, de quibus & Quintilianum dicere oſtendit Allatius. De his ſubiungit Allatius. *Si literulis noſtris ſcriptitaſſent*: hoc eſt eatenus deformatis, quæ hodie ſunt in vſu, *antiquitatem perpetuam violaſſent*, hoc eſt, non ſeruaſſent, illius videlicet temporis, quod intellexit Priſcianus, quemadmodum non ſeruarunt deinde poſt hominum ætates, literis paulatim variè demutatis. Vt rectè deinde poſtquam varias mutationes factas oſtendiſſet, dicat Allatius: *Formas porrò literarum, quas ſic iam apud Romanos ætate Feſulani conſtituimus*, &c. *antiquioribus temporibus alias, atque alias fuiſſe*, &c. Quod omnino verum eſt, tametſi ea tempora non attingant ad *antiquiſſima*, quæ nonnulli *priſca* vocant, in quibus

perpetuitatem ſeruare poterant. Ad quam ſeruandam non neceſſe fuit durare vſque ad noſtram ætatem, ſufficit duraſſe vel triginta annos ſine interruptione, vt in ciuili actione cenſet Imperator: quanquam ego, centum annos durationem cum iure perpetuam dixero libentiùs, multóque magis ſi ſuperet, quemadmodum dubio procul Priſciana illa tempora, ſuperarunt. Sed quid ego iure aſpergo Sepultum, aquis & forti aſpergillo adiurandum? quid vel Latinè doceo, qui pluſquam *perpetuò* hærebit, vt diſtinguat inter poſitiuum, & ſuperlatiuum, longè infra Boëtianum illum, qui triginta annis ſudando non intellexit, mas an fœmina fuerit Æneas apud Virgilium. Ne putes me vana loqui de eo Academico, qui elegans in hoc loco dictum Allatij, *Nullus dubito*, ſic correxit primùm, *Nullus dubita*: deinde pro prima perſona elegantiùs, *nullus dubitat*. O ruſticum! ô barbarum!

§. Si

5. Si diffonde l'Allatio. Pag. 8.

NIhil non agit Sepultus, vt diſtortas vna manu varias figuras, nec minori artificio ductos characteres, fraudi eximat, diuersáque manu fuiſſe exaratos defendat, & compatitur Allatio, *qui primitiua, ſeu originalia exempla non viderit : in quibus, non omnes detorti, ſed quidam æquales produntur apices, eóque diuerſitas ſcriptorum arguitur.*

Miſeret me profectò tam inſulſæ defenſionis ad inuiſa prouocantis, multóque magis ſi Academicum hunc non pudet ſui, tam abſurdè affirmantis, *characteres, æri, & ligno inciſos ſimilitudinem ſeruare, eoſdem in originali diſſimiles eſſe, eóque differentiam ſcriptorum præferre.* Sic laruam larua; Rectiùs dixiſſet à mortuis, & Sepultis lumine procul temerè ſcribillatos, ideò in omnia imaginaria temerè diſtortos, & à viuis, vix legibiles. Miſerum Alphonſum Ciuarellum hoc patrono,

& longè diriori ſupplicio obiiciendum. Quod exemplum meritò abhorret Sepultus; ſed in bibliotheca Vaticana teſtatum narrat, vt moneat, non mordeat Allatius.

§. *Ne ſi renda tanto ammirato.* Pag. 9.

QVatuor verba ſimilia Græcis ægrè protulit Proſperus. Ea Græcè natura, & arte peritiſſimus examinauit Allatius. Græca non eſſe deprehendit Lignyphagus meus, *erronum Ægyptiorum*, quos vulgò, *Zingaros* appellamus idioma affirmauit. Sed audi reſponſum Academici Sepulti Latinè non ſapientis, de Græcis iudicantis.

Non miretur, ait, *Allatius Proſperum non repoſuiſſe literas quoque Græcas, neque item Hebræas. Quippe non ſolùm reſponderi poteſt, eas penes ſe non habuiſſe, ſed etiam fortaſſe repoſitas eſſe, nondum tamen inuentas.* O ſtabilem ſupra Scepticos Academicum *fortaſſe* ſapientem

ſapientem, *fortaſſe* etiam deſipientem, vt aliquando *fortaſſe* ſapiat. Scilicet *fortaſſe nondum ſunt inuentæ*, vt nouæ impoſturæ ſit locus, cùm fortuito, vel recenti aliquo vaticinio, mox prodendæ ſunt inuentæ, neque ſolùm Græcæ literæ, verum etiam Hebraicæ. Væ Allatio ſi *fortaſſe* illud tranſeat in Categoriam, quomodo enim eluctabitur, Hebraica dubio procul è fundamentis Babylonicæ turris eruenda; qui plurimùm ſe debere fatetur Feſulano, quatuor duntaxat verba Græcanicæ imaginationis prodenti, *ne ſi plura eiuſmodi ſcriptitaſſet, legentem enecuiſſet*. Addit tamen hoc loco lignyphagus, conſultè magis hæc tacendo, facturum fuiſſe Allatium, ne ſibi occidendo fraudi fiat. Si fortè Sepultus plura id generis Græca, tanquam Proſperi effata promere pergat, vt ſic imprecationibus huius fidem faciat, velut iniurius in Antiquitates Etruſcas interierit, & non potiùs ob nouas Antiacticiſmi phraſes riſu diſſiluerit. Niſi tamen aut recantet quæ con-

contra ſcripſit, aut pretio tantum periculum à Sepulto redimat. Sic olim in nuptiis ſimij, talento conductus ad cantandum porcus (muſicum ſe venditarat) vt primum grunnire cœpit intentiùs, penè conuiuas omnes ferali hoc genus cantu exanimauit, & ne vltrò pergeret, addito altero talento pactus, receſſit.

§. *Al num.51. Pone in dubio.* Pag. 9.

VAnè dubitare arguit Allatium, num eiuſcemodi ſint literæ Etruſcorum, quales produntur à Feſulano. *Nouerit enim*, ait, *in eminentiſſimo Vrbis loco periculum factum eſſe.* Neſcio Tarpeium collem intelligat, an Ianiculum, an pinnaculum templi Vaticani: vix enim Romæ alius locus eminentior.

Vtique tamen triumphari hîc poterat de Allatio, niſi iterum ominoſus ille Togatus, alias ex Vrbe datas literas protuliſſet. Referebant iſtæ, compa

cõparuiſſe Romæ Antiquitates Etruſcas, publicante Curtio Inghiramio Proſperum Vatem; Adhibitos illicò cognitores, & peritos, & curioſos; priuatim primùm in ædibus literatorum, deinde in Palatio Vaticano; neminem vnum niſi virtute imaginandi defectum probaſſe, omnes eleuaſſe vt rem ſubleſtam, impoſturam minimè ingenioſam: nonnullos ob riſum penè diaphragmate offenſo diſceſſiſſe. Iam præcipuæ Italiæ Ciuitates Bononia, Piſæ, Florentia reiecerant, Romanum expectabatur iudicium, vt Vrbis placitum orbis reciperet. In ea cauſa adfuit Volaterranus neſcio quis, lectiſſimam Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini bibliothecam tanto theſauro ornaturus: ſed tantùm abfuit vt placeret, vt cùm plures dies adeundi gratiam captaſſet; nec admiſſionali quidem conciliato, contemptus potiùs quàm moræ pertæſus reuerterit, repoſiturus in Scornello, quod Cardinalis bibliotheca refutarat. Narrauerit is opinor ſuis, ſi veri

amans, quo applauſu in Vrbe fuerit acceptus, vt ne dono quidem placeret, quod ipſi ſupra pretium erat. Ridiculum porro eſt, nihil non ſategiſſe hominem, initio monſtrando pleriſque, & vltrò offerendo ne cogitatam quidem, nedum rem viſam, quod admirationem iuxta captaret, atque æſtimationem: quid porro? vbi ludo haberi aduertit, pertinaciter abſtinuit, & ne rogatus quidem, auro etiam oblato, videri paſſus eſt. Quin audio (addidit non nemo ex Proceribus) Hebræis quibuſdam gratioſum opus ad tempus, quod exiſtimarent Barachiæ cuiuſdam Rabbini, olim Volaterris familiam ducentis, tractatum de maxilla aſini, in illis Antiquitatibus contineri, cùm figmenta vetuſtiatum eſſe accepiſſent, æs collatum in corbonam eos intuliſſe.

§. *Tralaſcio*

§. *Tralaſcio quello che due al num.* 52. Pag 9.

ARgumento non ſuo vti circa vaticinia ſugillat Allatium Sepultus. Deridet præterea ex falſis Augurum vaticiniis, arguere eum de impoſtura, & non potiùs affirmare, *fortituitò aliquando eos, aut etiam imperſcrutabili Dei indicio vera diuinaſſe.*

Si primum ſpectemus, infra laudem non eſt, vt aliàs dixi, alienis interdum, ſed ſuâ dexterâ vincere armis. Referebat potiùs oſtendere cuiuſcúnque argumentum eſſet, an ad propoſitum reſpondiſſent Antiquitatum inuentores, quod hactenus, nemo ſeriò dixit. Si ſecundum, vt mittam Latinè non intellexiſſe Sepultum, mirum eſt ne fortuitò quidem aliquid veri dixiſſe Proſperum Feſulanum. Et meritò irridet Allatius, *tantum Haruſpicem, qui adeo exquiſitè* (ſecundùm iſtos) *præſcripſit huiuſce inuentionis tempora, non cogno-*

uiſſe durationem vitæ inuentoris. Suggerit hîc Lignyphagus, eum fortaſſe non exta, ſed excrementa inſpexiſſe. Imperſcrutabili porrò iudicio Dei (vt eandem excuſationem retorqueam) factum reor, vt defenſores huiuſce figmenti, nihil cohærenter loquerentur, ne impoſtura aliquando in authoritatem tranſiret: quamuis non improbem Sepulti religionem, fortuitò aliquando vera dixiſſe Augures, quod tamen hactenus in Proſpero Feſulano vix probatum eſt, quaſi non ſolùm præter intentionem aliquando vera, ſed omnia fingendi animo falſa proferre ſtatuiſſet.

§ Quella particula, *Cartham non poſſum habere, obſidione premente.* Pag. 10.

QVærit Sepultus, *dicta particula toties ab Allatio ponderata, & inculcata, quid tandem momenti habeat, An tanti eſt in præſidio, vel arce obſeſ-*

ſa

ſa, deficere chartam, neque Proſperum, id præuidiſſe.

Refert enimuero permultum, vt ex roſtro noſcas noctuam. Scilicet obſidione vrgente, omnis charta ſclopetis onerandis, & extergendo ſeruiebat, ideo ſcribendo non ſuppetebat: & duntaxat à *tergo* vaticinij ſcriptum illud fætidum. *O ſi hoc tempore viuerem Proſper Proſperus nõ eſſem.* Ita accidit vt à mortuo, & Sepulto inueniretur, qui ſuo tempore non vixit. Barbarus vates non futurum, ſed præſens tempus, ex idiotiſmo non Latinis oculis reſpexit. Suggerit Lignyphagus adeò preſſum fuiſſe obſidione, vt ne manus quidem liberæ eſſent, ad chartam rectè ſcribendam. Quæ autem vlteriùs obiicit Sepultus de libro Bibliothecæ Magni Ducis Etruriæ, ex codice mortuorum deprompſit, nihil enim ea de re n. 78. Allatius. Reſpexiſſe tamen puto Sepultum, qui ſepultorum ritu numeros non diſcernit, num. 68. Sed poterat hoc loco phantaſiæ ſuæ corruptæ parcere Sepultus

pultus, ne nimium conniteretur Latinè non intelligendo. Et qua fronte dicit Allatio cum Zamoſio conuenire, quando Allatius poſt Zamoſium num. 63. diſertè ait, *non tamen id à me, nec ab alio, qui aceti guttulam in pectore habeat impetrabit, vt papyraceum ſit.* Et paulò inferiùs confirmat eſſe factam ex herbis quibuſdam, & corticibus arborum, idque eruditorum conſenſu Romæ probari teſtatur Togatus, ex ore docti Religioſi recèns inde huc profecti, qui eiuſce chartæ materiam herbam eſſe arundini perſimilem, explorato docet argumento: ecquid ergo hic lacer Academicus, cum ſuis miræ ſubtilitatis petiis, & diſſumentis: ſatiùs profectò erat argumento reſpondere, ſi quid poſſet, quàm in conquirendis laciniarum quiſquiliis operam perdere. Verùm quid faciat Sepultus inter inſtita, niſi vt centones ſomniet?

§. *Seguono poi, quattro ſuppoſti.* Pag.10.

PErgit decretoriis armis in quatuor Allatij poſitiones pugnare. Prima habetur, vt ait, *num.75. folia, nimirum, à Feſulano inciſa eſſe, & artificio ſcripta, ne recentia ſigna agnoſcantur.* Falſo id aſſeri ab Allatio, non ratione, ſed experientia probat.

Verùm experientiæ, quæcunque illa ſit apud mortuos, & ſepultos infidæ, viuentium oculi, & ratio dúxque coméſque contradicunt: & ab argumentis Allatij ſtant immotis. Sed nec Feſulanus patitur Sepultum. pluſquam mortuo, vel ſpectro conueniat viuis obiicere, præſtringendo; fatetur enim diſertè, multa ſe in fruſta concidiſſe. Cur ita? Ipſe ſibi ſcientiam ſeruat. *Quare*, inquit, *ita ego ſcio. Proſperus Augur, tu ita accipe, & vade:* vt mirum ſit Sepultum adeò ſtolidè præſtigias agere, & affirmare Feſulanum hiſtorias duntaxat in plu-

res partes diuiſiſſe, ſeorſim ſeruandas.

Addit Togatus. Allatium iam ſuper æthera, præclaris copioſiſque ingenij ſui monimentis notum; Romæ etiam eius auctoritatis eſſe, vt verbo iniurato dictis fidem faciat, nec minus aliis credatur, qui Allatium hoc, vel illud dixiſſe perhibeant, cùm interea aliorum, (Lignyphago excidit,) Inghiramiarum Antiquitatum aſſertis niſi publica ex probatis teſtibus ſententia accedat, vix aures dentur, vt taceam interdum fidiculis opus eſſe. Si quid porrò vrbanitatis inerat Sepulto, debebat vel vni Allatij dicto fidem adhibere, qui ſuis ipſe tot inconſequentiis eandem ab aliis exigat. Condonetur id inſcio ratiocinari, & cum viuis agere dum vltrò doceatur, ſi docilis eſt. Religioſum illum, de quo eo loco fit mentio, coram Inghiramio Equite, & aliis, conſiderata illa charta explorato demonſtraſſe, quid præ ſe ferret; Inghiramiúmque monuiſſe, illico obmuteſcentem, & pudentem ſui. Prudenter

verò

verò Allatius nomen viri celauit, ne amicum inuidiæ,& probro obiiceret: neque id neceſſe erat, quando pro rei veritate, conſcientia Inghiramij teſtis accuſabat, vt multis profectò opus ſit Inghiramio, ſi abſolui cupiat, nec producti in iudicium teſtes falſuri ſint, quin excedat. Liberet ſe, vel excuſationem edendo, niſi & hinc magis degrauari metuat. Vin' aliud? parebo lubens, ex me accipe de corona ſapientum, haud procul Florentia, vbi adducta in medium parte illius chartæ, quam Scarith præ ſe ferunt, non minus diutino, quàm erudito examine, diuerſis aliis chartis, vel ex filo, quod aiunt, conſideratis, manifeſtè patuit non aliam eſſe chartam, quàm quæ hæc ipſa fictitia fragmenta; at illa eadem prælo excepit; vno verbo quæ Collis laborata eſt, etſi ad faciendum fucum in fronte Francofurtum prodat trito impoſtorum ingenio. Ridet hoc loco Lignyphagus, & tardæ experientiæ pertæſus fidem ſuam ſpondet illicò, ſi iſthic adſit, ex odore

venaturum

venaturum , ſe (præclarum ſanè Oribaſium)in qua officina pix, aliáque , quibus fragmentorum conditoria perlita compactáque ſunt vænierint, vt inde diſcat vbi facta ſint ; imo præſidentius affirmat , ſe nomine , & ore tenus quoque comperturum, ac digito demonſtraturum præclaros ſcilicet , adeò rudis inuenti architectos. Quin plura dicturum cubito inter pellat Togatus , litteras recentiores Florentiæ ab amico datas obtendens : ferunt eæ , ingenioſum iſthic , curioſúmque adoleſcentem, vſitatæ chartæ ſimilem immiſiſſe colorem , eamque deinde variè inſcriptam , nec non pice , & creta intectam humo crediditſſe ; denique paucos poſt annos coram arbitris ſe ſe effoſſurum promittit , præferentem per omnia , quidquid Antiquitates Vulterranæ ob oculos ponebant: fecit verò id egregius artifex , non impoſturæ venditandæ cauſa , ſed vt impoſturam Vulterranam manifeſtã faceret. Addit Lignyphagus ingenioſior factus , id experimenti ferre

chartas

chartas excrementis illitas, ſi fuligine tectæ per dies decem ad Solem ſiccentur, ſe auctore: ſed per me edat hanc experientiam, coram Sepulto.

Secunda poſitio habetur *num.* 79. *Vt*, inquit, *oſtentet Allatius ſe callere, quot genera atramenti fuerint antiquitùs, affirmat recentioris eſſe præparationis atramentum, quo hæ perſcriptæ ſunt Antiquitates. Et cùm non viderit, diuersè iudicat ab iis, qui quotidie ſuis oculis cernunt, nec tamen materiã huius atramenti diſcernunt, quod quidẽ ſpiſſius eſt noſtrate, & nonnihil colore varians.*

Ridebit ad hæc Allatius; qui vt Togatus ominoſus teſtatur, atramenti genus id tam facilè factu iudicat, quàm fuit ipſi Proſpero. Riſerim ego magis tot lynceos oculos non diſcernere, niſi fortè æquiuocis mortuorum, & ſepultorum oculis inſpiciant. Sed maximè ridet lignyphagus, qui ſublimata fornacum fuligine, omne genus atramenti præſenti opera ſe paraturum ſpondet, vt ſcripturis, apices ob Argonaútis formati videantur, vel etiam in Hieroglyphica Sethiana abeant.

Tertia poſitio Allatij *num.90. Negat*, enimverò, *fidem affirmantibus has Antiquitates diu ſub terra latuiſſe. Præclarum eruditi argumentum, qui ſi conſtanti facto non credit, cur non accedit, oculis re inſpecta ſuis, dubio conſulturus? Id profectò facere oportebat, antequam ſuas ederet obſeruationes, ſiue ad roboranda ſua argumenta, ſiue ad cautius dubitandum de aſſertionet antorum virorum, ac teſtium oculatorum.* Hæc ferè Sepultus.

Sed væ illi, ſi Allatius inſpexiſſet oculis, næ non ſolùm dictis ſuis robur ſuffeciſſet:ſed liquidò magis detectis impoſturis, Sepultum ad ſepulcrum, & infra fugere, compuliſſet. Interim tamen non eruditi, ſed rudentis eſt, toties ad oculos, & rem viſendam prouocare, ad argumenta neſcire reſpondere. Certè ſubmurmurat Lignyphagus, ſi omnes qui fidem his Antiquitatibus abnuunt, Scornellum, aut etiam Volaterras adituri ſint, vnde panes emant vix habebunt. & ipſi & ciues moriantur fame neceſſe eſt. Satius dixiſſet, planè eſſe

eſſe velut apud Lacedæmones, vbique teſtes eſurientes, qui pro obolo iurent, atque hos potiùs mercede auctorandos, quàm rogandum Allatium, vt fidem præſtet, qui vel in manifeſtis, & (vt rancido Sepulti adagio vtar) lippis & tonſoribus notis, vix poſt longam cunctationem aſſenſum præbet; cùm interea beneuoli iſti accenſi vltrò fidem offerant, & vel cæci de viſu conteſtentur. Hæc Lignyphagus pro re nata non malè.

Quarta poſitio, *num.* 91. *Vaniſſimum aſſerit Allatius vnum ex inuolucris, combuſto primo cortice inuentum eſſe.* Hîc triumphat beatus Sepultus, *& infelicitatis damnat Allatium, vt qui neſciat id multorum atteſtatione firmari, quorum nomina iuſſu Seren. M. Ducis relata ſunt in tabulas ab Inghiramio propediem edendas, cui ſi fidem non habeat, negabit etiam publicis actis, imò & iubenti ea confici; vt hoc propter, ſtultum fuerit, cum eo ampliùs diſputando altercari.* Sic Sepultus.

En quàm cautè in ſepulcro ſe continet, & tamen cùm nihil ad obiecta

obiecta reſpondeat, nec quippiam viuo dignum opponat, diſputare ſe ingenioſè fingit: felices eius manes, ſi cum reliquis inuolucris non ardeant: ſed nec Proſperus tam Proſper, qui in vno illo Scarich ignem ſenſit. Infelicem porro Allatium, qui confecta de his inſtrumenta non vidit. Mirum cur iterum non inuitetur ad viſendum. An illi hanc videndi felicitatem inuidet Sepultus? An potius metuit, ne diſputando inſaniat, ſi præſertim quæratur, cur primo cortice vnius inuolucri combuſto; cætera materies igni aptiſſima proximáque intacta permãſerit? Profectò, vt reſpondeat frigidus Sepultus ne ardentiſſima quidam fornace reliquis omnibus inuolucris iniectis excalefiet. Sed quidni (ſubdit verſutus Lignyphagus) reſpondere in promptu queat Sepultus? Licèt enimverò miraculo factum, vt ignis vim vrendi perderet; ne augurium Proſperi alioqui fabula foret, nec vnquam hæ Antiquitates in lucem venirent. Credo, ſed qui author impoſturæ

poſturæ fuit, idem & hoc genus miraculi ſub manu habuit.

§. *Suppono che l'inchioſtro.* Pag. 11.

ALlatius eruditè ex atramento antiquorum argumentatus eſt,
t recentiorem hanc præparationem
ſtenderet, quæ ſanè multis obuia
ſt; inter quos Togatus fidenter re-
ipit, quoties, & vbi viſum fuerit,
1 dubia experientia nouitatis huius
: fidem factum, tam ſcilicet eſſe
etus hoc Antiquitatum Inghiramia-
ım atramentum, quàm quod nuper
omi ſuæ à ſcriba factum. Iterum
iicit Lignyphagus, ſe abſque vllo
ræſtigio perinde recentibus vetu-
atem, vetuſtis nouitatem imperti-
: : alterum exemplo ſculponearum,
uas nudiuſteıtius emptas, heri ca-
inis veırendis detriuit: alterum ar-
umento barbæ ſuæ, quæ cùm ab
tate canitié ferat, fuligıne inſper-
: quotidie iuueneſcit: tantámne
uditionem in Sepulto quæras?

§.*Curioſò,e ſopra modo*.Pag.12.

C*Vrioſum admodum eſſe, num.* 88. Allatij conceptum, notat Sepultus. *Foſſores nempe Aquilanos, nunquam huius generis inuolucra inueniſſe; quaſi hinc neceſſariò conſequatur;hæc alia ſcilicet Volaterrana nunquam defoſſa fuiſſe.*

Probo facetiam, nec in Sepulto quæro ſalem, Allatius eruditè oſtendit bitumen non poſſe tantam ſub terra antiquitatem ferre, quin fathiſcat in puluerem, idque aſſertione foſſorum experientium, qui tot antiqua ædificia à fundamentis ſubruerunt, nec quidquam bituminis, aut eo perlitum inuenerunt. Ex his porrò vt non rectè infertur minimè potuiſſe Volaterris inuolucra bituminoſa reponi, ita optimè deducitur, ſi inuenta ſunt non multa ante ætate fuiſſe recondita; atque adeò impoſturam eſſe quidquid ex Proſpero Feſulano de his Antiquitatibus aſſeritur. Sed quid mirum, non intellexiſſe

xiſſe vim Dialecticæ, qui Latinè non nouit, niſi fortè cum defoſſoribus ageretur metuerit ſibi Sepulto, ſine inuolucris, & bitumine altiùs humando.

§. *Ma paſſiamo alla Computatione.* Pag.12.

HIc ex foſſis emergit Sepultus, & vndas tentat; ſi quo modo expiſcetur *Allatium*, vt ipſe ait, *ſubmerſum.* Tria verò ponit, ſeu potiùs poſtulat. 1. *Annorum computos eſſe varios.* 2. *Vnum ex omnibus eſſe verum, reliquos falſos, ſiue per exceſſum, ſiue per defectum.* 3. *Euſebij Chronologiam eam eſſe, quæ vera ſit, Eccleſiæ Romanæ à Spiritu ſancto rectæ, auctoritate infallibili conſtitutam, cui proinde impium ſit contradicere.* His poſitis. *Euertuntur,* ait, *omnia, quæ tot ambagibus, & minimè ordinata prolixitate adſtruere conatur Allatius; harum videlicet Antiquitatum notas, non reſpondere aliis calculis, qui cum ab Euſebianis euarient, neque cum*

Etruſcis conueniant, neceſſe eſt, id quod vltrò conceditur, & ita ceſſat omnis diſputatio. Hæc & plura id genus Sepultus. Scilicet inter Punicam & malum, rubus. Sed nequit hoc loco riſum tenere Lignyphagus, nec me ſinit cum tanta Sepulti ignorantia conflictari, ſibi hac vice partes reſpondendi depoſcens. Annuo. Concedit ergo primum poſtulatum. Ad ſecundum, dicit, illum computum eſſe verum, qui cæterorum eſſe menſura, ſine errore queat; de huiuſmodi tamen hactenus non conſtare. Ad tertium, ait Sepultum inter viuos non didiciſſe doctrinam Chriſtianam; ſe enimuerò puerum à Parocho ſuo accepiſſe, non omne id quod quocunque modo admittit, aut quo vtitur Eccleſia Romana, infallibile eſſe, ſed quæ vt talia acceptanda credendáve proponit, quod de Euſebij chronico affirmare ſummæ eſt ignorantiæ. Et ſat notum illud Gelaſij diſtinct. 15. *Sancta Romana Chronicon Euſebij Cæſarienſis, atque eiuſdem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, &c. vſquequaque*

vſquequaque non dicimus renuendos. Quo dicto tantum abeſt vt certum definiat Gelaſius Euſebij Chronicon, & libros hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vt non pauca reprobet, *propter quædam* verò *non omnino rènuat.* Sicut autẽ in hiſtoriis errauit Euſebius, quẽadmodum idem inſinuat. Pontifex, ita errare potuit in Chronico, cùm præſertim diuerſas ab orbe condito putationes conceperit, eóque ob diuerſos codices permultos, & prioris, & mediæ ætatis Chronologos in diuerſa abire coëgit.

Vnde qui dicit impium eſſe Chronico Euſebij contradicere inter eos cenſendus eſt, qui apud Platonem numerare non norunt. Interpretatus eſt Hieronymus Euſebij Chronicon: ſed ab eo in vulgata editione receſſit, receſſerunt & plures viri doctiſſimi: neque hîc nota inuritur ſeptuaginta interpretibus, ſed qui ex iis malè deduxerũt ab Auguſtino etiam notati. A vulgata porrò editione recedere, eſt contra Concilij Tridentini decretum, impiè ſentire: vt rectè

deducit Allatius, & in propoſito ex-ſcribit S. Congregationis generalis decretum *die* 17. *Ianuarij anno* 1576; cui credere, qui ſtultum putat, velut Sepultus iſte, ex cerebro, & phreneſi laboret neceſſe eſt, catenis coercendus: quaſi perinde ſit Romæ fingere, & Volaterris mentiri. In quo genere notanda eſt prætcrea Sepulti ſtoliditas, qui teſtibus abſque inſtrumento generatim recitatis, fidem ab Allatio exigat, ipſe Decreto ab Allatio, producto, cum notis anni, diei, Cardinalium, & articulorum, de quibus agebatur, credere ſtultum putet vix vlla ignorantia, ſi ſanus mente, excuſandus.

Et ecce qui non contentus ſua vocatione, ex foſſis, & cmœeteriis ad piſcatum ſe contulit, quàm miſerè in fundum præcipitauit. Hic finis eſto diſputationis, inquit Lignyphagus: ſi plura velit diſcere Sepultus, accedat ad noſtri viculi Plebanum, & gratis vel me commendante, docebitur, vt ſuæ fidei rationem reddere queat, nec ab Allatio forraſſe ad

cenſuram

cenſuram vocante, grauiùs plectatur.

§. *Da queſto puo l'Allatio.* Pag. 14.

SEd mirum qui modò piſcator in fundum iuerat, tam ſubitò emerſit, & nauclerus euaſit, vt doceat Allatium quî portum tenere queat, ne toties in ſcopulos impingat.

Obſeruat Allatius *num. 95.* Volaterras L. Velij placito ædificatas annis 2106. ante Romam conditam: & rurſum alibi ſignari Caſtellum Romæ ædificatum à Roma Atlantis filia circa annum Æræ Etruſcæ 1256. Et hinc infert pugnantia. Sed enim ſubtilis ſine corpore Sepultus *diſtinguendum putat inter Romam Romæ, & Romã Romuli, quando inter vtramque interceſſere anni* 849. Ingenioſè profectò, vt ſemel reſpondere videatur, nihil reſpondens. Iam Allatius præoccupauerat eam diſtinctionem, & nihilominus eo annorum interuallo non

obſtãte, vrget impoſturam, ad abſurdum deducendo calculum,quo Vulterra à Noë condita aſſeritur,vt 572. annis ante diluuium id contigiſſe neceſſariò conſequatur, *quo quid*,inquit ille,*immanius dici , quid inter Catholicas aures abſurdius audiri potuit ?* vt meritò Charon hunc Sepultum,munus iniuſſum attentantem conto pulſare , & in Stygiam paludem demergere debeat.

§. *Hor qui ſeguono.* Pag 15.

DVos errores in Allatij dictis notat. Alter eſt in recenſendis iis , quæ à Vandimone Ochi , annis poſt Vulterram conditam 245. in Cœlum tranſlato eam adminiſtrarunt , omiſiſſe 5. Cameſis annos. Alter verò deductis annis 245. ab annis vitæ Noë 950. ſupereſſe illi 605. *O inſignem* (exclamat) *calculatorem : cùm in patria* , inquit , *mea reſidui numerari ſoleant* 705.

Ad primum. Impudentia Sepulti eſt , non conſiderare vnde arguat,

ne inde viciſſim argui poſſit. Cameſis annos non primus omiſſit Allatius, ſed Inghiramius, vel quicunque author eſt illius reſponſionis. Pro eadem loquitur exemplar Allatij Florentiæ acceptum, & plura quæ Romæ circunferuntur, cum quibus conuenit, quod hîc Viennæ præ manibus habeo, nulla Cameſis facta mentione, qui poſtmodum ad rimam ſarciendam aſſutus eſt. Allatius porrò illi calculo quocunque modo in dictis litteris ducto, perinde quocunque modo reſpondit, ſatis habens oſtendere nunquamnon erraturum quicunque has Antiquitates defendendas ſuſcepiſſet. Nec pluſculum aliquid requirebat intentum Allatij, quidquid tandem perfunctoriè examinaſſet. Addo ego in dicta reſponſione, Cameſis annos putari minimè potuiſſe, quando ne in ipſis quidem Antiquitatibus ſunt numerati. Tardè profectò ſomniaſti Sepulte, vt modò illos ad æquandum calculum illum tuum adduceres, qui iam in annis Ochi Veij inſerti ſunt,

cui poſt ſexaginta ſucceſſiſſe dicitur Ianus. Sed enim vnde tibi incidit quinque fuiſſe regni Cameſis annos, quando Annius, ex quo expilato deſcriptæ ſunt hæ Antiquitates, longè plures eidem tribuat? Nónne, ſi verum amamus, ad verſuram faciendam, quinque duntaxat opportuni erant, vt non ſine riſu Lignyphagus Cameſi compatiens, ex veſtro calculo dependiſſe huius vitam queratur, diutiùs vtique victuri, ſi veſtro calculo plures anni ſufficiendi erant.

Quod ſpectat ad alterum, maluit opinor Allatius minore errore diſſimulare maiorem, & potiùs tegere, quàm iterum aures eruditas offendendo, exprobrare Volterram conditam fuiſſe à Noë dum eſſet annorum 73. & quingentis ſeptuaginta duobus annis ante diluuium; & ideo leui manu adhibita remoratus eſt aquas, ne Volterram obruerent, & centum contrahere Conditoris annos, ne ſi tardiùs in Italiam veniſſet, iam ſiccatis aquis cadauera duntaxat ciuium offendiſſet; ita factum vt nec

ante

ante diluuium, nec multò poſt cum præiudicio vetuſtatis conderentur, ſed quaſi in principio aquarum arentium, cùm adhuc cretoſa eſſet humus, & ad conſtruendum apta. Si id etiam abſurdum videtur Allatio, figuratè loquitur; alioquin conceſſurus inuentoribus, ea præſertim occaſione, qua nondum repoſita in montibus Armeniæ arca, & adhuc commodè ad nauigandum extantibus vndis nauigari poterat: ne ſi diutiùs expectaſſet, noua architectura opus fuiſſet. Hæc ferè Lignyphagus: ſed non obſtante hoc calculo, cùm Allatius num. 102. vltro concedat centum poſt diluuium annos aduenienti in Italiam Noë, ex eóque ad votum calculatoris inferorum reſpondeat, non hinc eluctatur Sepultus cum ſuis, vt rei ſuæ cardinem, ſine abſurdo ab Allatio toties obtento, conſtanter figat.

§. *Al num.97. Veda bene.* Pag.15.

AIt Allatius Feſulanum anno poſt Catilinam trucidatum ſcripſiſſe, qui fuit Vulterranus 2796. ante Chriſtum natum 62. qui ſi ab anno mundi 4002. (vt nugatori gratificetur, laxiores terminos concedit) demantur, manent 3940. Hîc Sepultus *viderit*, inquit, *benè Proſperum repoſuiſſe has memorias anno* 2797. *non verò* 96. *idque fuiſſe* 60. *annis ante natum Chriſtum, non* 62. Sic ille.

Verùm Allatius ſcripſiſſe eum, non repoſuiſſe narrat. Fac ſcripſiſſe, quid hoc ad reliqua abſurda vitãda? Vt mittam contra fidem errare Sepultum. (ſi tamen eſt fides apud mortuos) qui cùm Euſebij Chronicon infallibili Eccleſiæ Romanæ auctoritate, verum affirmet, hoc loco eidem contradicat. Ex Euſebio ſiquidem interitus Catilinæ contigit anno mundi 5140. Si verò vno poſt anno ſcripſit Feſu-

lanus

lanus, conſequens eſt, non ſexageſimo vt excedit Sepultus, ſed quinquageſimo nono ante Chriſtum anno ſcripſiſſe. Qui rectiùs ſentiunt, anno ſexageſimo ſecundo vertente, vel ineunte ſexageſimo primo ante Chriſtum natum id accidiſſe demonſtrant; cum quibus peritè magis ſenſit Allatius, quàm intellexerit Sepultus: in eámque ſententiam eunt omnes, qui in vulgata Dionyſij Epocha biennium deſiderant. Sed hîc vereor ne iterum impietatis arguat, nimis religiosè ignorans Sepultus, qui vulgatam Dionyſij putationem ab Eccleſia receptam, & Chronicon Euſebij de fide eſſe iuret. Cæterùm miſſis hiſce minutiis, optarem Sepultum reſpondere, ad ea Allatij, quibus demonſtrat ex poſitione Feſulani quingẽtis, & amplius annis ante diluuium Noë veniſſe in Italiam, *quo vno ruunt*, inquit Allatius, *ſacroſancta illa Vandimonis verba, pro quibus vertendis, & tranſcribendis, tot Vulterranorum collegia deſudarunt.* Addit Lignyphagus, Sepultum, de iure mortuorum, non

ad ſingula viuentium teneri quæſita, ſufficit apud Hieroclem ſuis ſe tueri epitaphiis: nec ſuo carere ſepulcro.

ſ. Non poſſo gia ſare, Pag. 15 16.

ANno 1850. Vulterrano, aſſerit Proſperus Eeſulanus; *miſſos ad Augurum petitionem, ſex legatos ad Salomonem Regem Hebræorum, cum duodecim crateribus aureis. Miſſos etiam, qui ſapientiam Salomonis audirent duos Dorchetes:* (capras, ſeu ſoles interpretatur Lignyphagus) contra arguit Allatius; Noë ipſo diluuij anno ex ſuprà poſitis in Italiam venit. Vulterram ædificauit anno mundi 1657. quibus ſi addantur anni Vulterrani 1850. emergunt 3507. At Salomon annis 508. antea vita exceſſit. Vel ne fiat vis in errante calculo, pone centum annis poſt diluuium in Italiam veniſſe Noë,& anno mundi 1757. Vulterram ædificaſſe, adhuc ſequetur 408. antea Salomonem vixiſſe.

Reſpondet

Reſpondet Sepultus. *Exitum Iſraëlitarum contigiſſe anno mundi 3689. Diluuij 1447. qui reſpondet anno Etruſco 1347. Salomon cœpit ædificare Templum anno poſt exitum 480. hoc eſt, quarto ſui regni: mundi 4169. Etruſco 1827. Si ergo legatio miſſa fuit anno 1850. incidit in annum 27. regni Salomonis, qui poſt tredecim adhuc annis ſuperfuit.* Sic ferè Sepultus, cui condono errorem arithmeticum; ne obiiciat ita numerari in patria ſua, alioqui debebat numeraſſe 23. regni Salomonis, & 17. reliquos ad obitum eiuſdem. Reſpondendum porrò erat in terminis, & non fingenda, figendáque Etruſca putatio. Ingerit Lignyphagus videri Sepultum inſtar talpæ in fabula, quæ de cæcitate quæſita, modò de auditu, modò de olfactu, reſpondit, orbitatem viſus diſſimulauit, cùm neque de reliquis ſenſibus rectè iudicaret. Huc tendit, qui hero caricas afferre iuſſus, fabas exhibuit. Manet interim ſuo in robore argumentum Allatij. Et aliunde etiam repellitur ad foſſas Sepul-

tus, ſi calculum reuocemus ad principia Euſebij, quæ ipſe infallibilia putat. Euſebius ponit exitum anno mundi 4089. cui reſpondet diluuij 1047. Etruſcus annus 947. Salomon Templum cœpit ædificare poſt exitum anno 480. mundi 4169. Etruſco 1347. mortuus eſt Salomon anno ab exitu 520. mũdi 4209. Etruſco 1387. Si ergo legatio miſſa eſt anno 1850. proinde annis 463. poſtquam viuere deſiiſſet Salomon. Niſi fortè ad inferos iuerit (addit Lignyphagus) aut Pythoniſſæ alicuius arte eum euocauerit: quid enim hoc alienum à Sepulto eiúſque collegis, qui tot ſeculis latentes in imo Scornelli receſſu has Antiquitates augurio Proſperi exciuerint?

Pergit Allatius, ex Feſulani narratione, *miſſam* item *legationem* ad Oniam Maximum Hebræorum Sacerdotem, *anno 2538. & ab eodem Hbræorum vatum carmina, cæremonias, legéſque Hebraïci populi, in membranis tranſcriptas Volaterram allatas fuiſſe,* quas ipſe Feſulanus legit, *& à ſumma*

doctrina

doctrina, & Sapientia laudauit. Ita porrò argumentum ex poſitis principiis vrget, vt oſtendat eam legationem factam, annis poſt obitum Oniæ 286. & quod magis ridiculum eſt, poſt ipſius Feſulani lethum, annis 106. Ad quæ non aliter reſpondet Sepultus, quàm ex dictis pro legatione ad Salomonem, *Eadem*, inquit, *putatio fieri poteſt de ſummo Sacerdote Onia, ſed nolim tædio afficere*, eum puta, ad quem ſcribit.

Hoc tædio poteras, Sepulte, leuare amicum, longè commodiùs, téque ipſum ignominia non grauare ſi ſcribendo abſtinuiſſes; ſed neque Inghiramium in theatrum produxiſſes, vt hunc tui, ſuíque puderet; quid enim non ex iis literis, quas Inghiramij eſſe dicis non excerpſiſti? Facilè iudicabit, cui vtraſque conferre libuerit, nec mentietur, qui tuas illarum compendium affirmabit, etſi procul ſano iudicio, delibatum, niſi mauis delumbatum vt corruperis potiùs, quàm dicta collegeris, nec quicquam meliùs addideris, adeò ſi excipias

quæ

quæ in Allatium indoctè effutiuiſti, nihil in his tuum eſt. In hoc verò vt oſtenderes te Latinè intelligere, tam profeciſti, quàm in Apologo, ſub pelle leonina ex ruditu agnitus ille vapulauit.

Eandem ait fieri poſſe putationem de Onia. Rectè planè, & eadem quæ ſupra huic putationi, reſponſio Lignyphagi quadrabit; nec tædio quempiam affecturus eſt, ſi addat, non priùs te ad propoſitum dicturum, quàm roſas mandere incipias. Ego verò poſſem hæc ad Euſebij calculum ſubducendo, plura in te ridicula, niſi iam ludo omnium aſſueuiſſes regerere. Vnū ſupereſt, inquit Sepulto, Lignyphagus, vt exoſſetur, imò vt ſepultura careat, ſi de Salomone, & Onia plura ſacris Scripturis nō cohærentia effutiat. Mentiar niſi Sepultus, ſi in mentem ei veniſſet ex Proſpero Feſulano Clauiculam Salomonis authenticam probaturus erat, vtpote per ſex illos legatos, & duos Dorchetes, Volaterras allatam. Genuinam item Cabalam ab Onia Sacerdote,

cerdote, Auguiũ collegio miſſam, vt futuræ Academiæ ex iis proficerent. An verò ſuo tempore ſeruarint, huiuſmodi monetæ malleatores, hæc etiam in lucem euocanda? næ Libnyphagus non fortuitò diuinarit.

§. *Al num.* 101. 102. Pag. 16.

Ait Allatius Antiquitatum Etruſcarum ſcriptores, non potuiſſe ſequi interpretationem Septuaginta, cùm ij nondum eſſent; & conſequenter illos non potuiſſe vti Chronologia ex ea interpretatione ducta. Hæc eſt raciocinatio Allatij, non vt neſciens Latinè deducit Sepultus, *non fuiſſe tum adhuc calculum Septuaginta, quia nondum erat corruptus:* Sed ita ex re ſua traduxit argumentum, probè gnarus nunquam in rerum natura fuiſſe antiquitates Etruſcas, niſi poſtquam artificio fingendi extiterunt mentitæ Antiquitatem; quaſi ſeruata eadem inferendi forma perinde omnis materia commentum ſequeretur.

Vt porrò reſpondeat Sepultus, iiſdem

dem ſemper laceris inſtitis prodit, *Antiquitates reſpondere Chronologiæ Eccleſiaſticæ, veræ, & ſuis temporibus quæque verè aſſignanti, à Spiritu ſancto introductæ, id quod credendum, & firmiter ſtatuendum.* Quid hîc exſpectes Lector, niſi Proſperum Feſulanum fuiſſe Prophetam, à Spiritu ſancto directum, vt has memorias futuro Euſebij Chronico aptaret, & non præuiſa interpretatione Septuaginta, cum eodem perinde erraret. O irrefragabilem Feſulani Chronologiam, quâ tanto ſuo malo tandiu caruit Eccleſia! O Chronologi, ad hanc in poſterum reuocate veſtras putationes, *quæ ſola non indiget ad aliorum chronica examinari.* Suggerit Lignyphagus in ſua patria ſimili reſponſione vti anus deliras, cùm de doctrina Chriſtiana quæruntur, ſe nimirum credere, quidquid credit ſancta Mater Eccleſia, neſcire tamen quid credat. Ita Sepultus credit quidquid Chronicon Euſebij, an hoc exploratæ ſit veritatis ignorat. Eccleſiam tamen eo vti affirmat. Si obtendas

das Decretum ſanctæ Congregationis hoc loco recitatum ab Allatio. Si ſanctum Hieronymum ab Euſebio recedentem,& cum vulgata editione ſentientem; neſciet quid dicat, niſi fortè errorem eſſe contra Spiritum ſanctum, imò blaſphemiam. O cerebrum ſepultum! Viderit ne hîc iterum ſepultura Eccleſiaſtica priuandum cenſeat Lignyphagus: niſi ipſe iam ſe ſponte priuarit, iccircò in cæmeteriis oberrans,& viuos infeſtans.

§. *Numero* 102. *Dice.* Pag.16.

NOë mortuum anno 350. poſt diluuium ponit Allatius. *His*, inquit Sepultus, *conſentanea habet Feſulanus.* Sed mendacium deprehendit Allatius; Aiunt enim Antiquitates *in Cœlum tranſlatum anno Regni Etruſci* 245. at cùm centeſimo poſt diluuium venerit in Italiam, vt Inuentores volunt, ſequitur obiiſſe 345. non ſolùm contra vulgatam poſitionem

poſitionem, ſed etiam contra calculum Septuaginta; quibus fides diuina habenda. Reſpondet Sepultus; *addendos quinque Regni Cameſis, annos.* Verùm hoc eſt aſſuere ex propriis, & ſarcire lacernam cum dedecore. Ita nihil non mendacij addẽdo, demendo, facilè æquatur. De hac reſponſione dictum ſuprà. Optaret Lignyphagus ex pacto ſibi cum Sepulto conuenire, vt hic non plura fingeret, quàm quæ veriſimilia viderentur: tum enim ſe fabulis eius ex parte crediturum ſpondet, gratis & tantùm honoris cauſa.

§. *Num.* 103. *Reſponde qui L'Allazio.* Pag. 17.

Opposuerat quædam Vincentius Noghera, quibus reſpondit Inghiramius, ſed huius reſponſionem deſtruxit Allatius, cui tamen vitium hæreticis familiare affingit Sepultus, quaſi Inghiramij dicta non probè, & integrè attulerit; quod illi

factitant in ſacra ſcriptura, ſanctorúmque Patrum ſententiis, quo ſua falſa dogmata ſtabiliant. Sed ô feſtiuum, & lepidum ſine cerebro caput! Interim nec ad argumentum reſpondet, nec quid neceſſarij ex dictis ab Inghiramio omiſſum ſit oſtendit. Nam quod de quinque Cameſis annis fraudulenter aſſutum eſt, adeò non iuuat rem, vt iis etiam triplicatis, quod fecit Annius, ex quo truncato mutuati, an potius furati ſunt impoſtores Antiquitatum, adhuc conſtent, quæ de Noë abſurda intulit Allatius. Ex quibus vlterius manifeſtum euadit, in quo hæreat comparatio facta de hæretico. Tu porro hæreſeos nota ſimulanter aſpergis Allatium Sepulte, qui catechiſmi rudis, quid credas planè ignoras, hoc tua ex Euſebij Chronico ſapientia demonſtrat. Procul ab Allatio omnis nota, vel ſi otioſè fingas; tot lucubrationes non minùs doctæ, & eruditæ, quàm Catholicæ, & pro Eccleſia factæ luculentet, virum totius orbis oculis demonſtrant, per

manus

manus, & ora omnium prædicant, Romanarum Congregationum auctoritas eundem à doctrina, & fide commendat, ob quæ præſertim illa, quæ librorum indici ſacra eſt, & cenſorem, & alieni dicti, ad ſanctæ fidei normam iudicem legit; in quo munere hactenus ſumma ſine exceptione laude verſatur: reliqua taceo. Tu verò in fœtoribus ignorantiæ Sepulte barbare, huic viro audeas hæreſeos diſciplinā affricare, qui quemadmodum dicebam, quid credas ignores, nec quid de fide ſit diſcernas: mentiar niſi Catholici, & hæretici vocabulum minimè intelligas, vt te de grauioribus argumentis minimè compellam, qui tam noſti ad auctoritatem Concilij, & vulgatæ editionis, reſpondere, quàm vt Lignyphagus, ait, Scytha quiuis, ſacra Biblia interpretari. Neſciebam tanti eſſe ſcriptiunculas Inghiramij, vt ſi quid verbi omiſſum ex iis fuiſſet, pari ac ſi canonicis ſcripturis facta vis eſſet, de crimine plectendum foret, adeóque reus eius verbuli, cum hæreticis

cis hodiernis in comparationem veniret, imò & hæretici nomen ferret. Si ita eſt, Allatij erit ſeueriore cenſura in te Sepultum ex officio animaduertere, vt qui literas Inghiramij, non tantùm vulneraſti, ſed fœdiſſimè capite, & pedibus, imò & cæteris membris truncatis mutilaſti, meritò exhumandus ſis; & publica ſententia in foro Floræ, tua cremanda oſſa, neque enim vt ignorantiæ palinodiam edas, idoneus eſſe potes. Verùm abſit ſeria comparatio, ne ſi Allatio crabronem moueas, hanc plenam tuam ignorantiæ, & malè fundatæ doctrinæ ſcriptiunculam ad Tribunal productam cognoſcat, noménque tuum breui in foro pendeat. Hoc eſt, inquit Lignyphagus, quod ego toties occino, Sepultum non ampliùs fore ſepultum, puta ſepultura priuandum. Quod ſi contingat eius quoque oſſa iamdudum carioſa cremari, cœmeteria non vltrò erunt infeſtationi. Sed timendum ne peſtilens fumus aëre corrupto luem creet: niſi verò medicatam

igni

igni eſcam præbitura ſint tot Scarith, & Antiquitates bitumine perlitæ. Age ergo, egomet hanc materiam congeſſero, facem admouero.

§. *Num.*105. *Hor qui confeſſo.* Pag 18.

HOc loco fatetur Sepultus, ſe captum iudicio, ruptáque patientia ignorare, quò mente collimet. Hactenus quippe Allatius, *plurimo,* inquit, *garritu contendit, Chronologiam Etruſcam falſam eſſe, nec concordare cum aliis, & ideò hæc monumenta eſſe ſuppoſititia. Modò hoc ipſum ex contrario oſtendit, quia concordant cum Chronologia Eccleſiaſtica; vt ne Delphica quidem reſponſa paria ſint eiuſmodi cerebro. Iterum porrò, atque iterum replicandum conſentire putationi Martyrologij Romani, quæ ſi perperam facta, (quòd expreſſis verbis licèt, aſſerat Allatius, ſine horrore audiri nequit,) vltrò damus falſam eſſe, & ſcienter mentitam Eccleſiam. Quia tamen veriſſima eſt*

ideò

ideò conſentiunt eidem Antiquitates Etruſcæ non futura diuinantes, ſed notitiam præteritorum habentes. Et ſi licitum eſt humanæ menti, diuinæ mentis abyſſum ſcrutari; quis ſcit num æterna prouidentia quæ infirma mundi eligit, vt fortia confundat, ſcriptis Ethnicorum confirmare intenderit ſenſum Eccleſiæ, contra hominum genus, qui prima ſpecie neſcio quid temerarium præ ſe ferant, quandoquidem non ſine ſtupore audio id dictum; Vera ſit, necne annorum illa ratio, quam Eccleſia in ſuo Martyrologio ſequitur non diſputo; illud ſanè enuntio, à vulgata, quæ fidem diuinam facit, à qua homini Catholico recedere non licet, multis paraſangis diuerſam eſſe, &c. *Viden' qui Allatius damnet opinionem tot ſummorum Pontificum, ſanctorum Patrum, Conciliorum Oecumenicorum. Denique id quod Eccleſia vniuerſalis à tempore Apoſtolorum tam Græco, quàm Latino ritu ſemper tenuit, & tenet, ſeruauit & ſeruat. Sed non pluribus, &c.* Hæc Academicus Sepultus, eadem inſtar mendicibuli cæci, occantans; & vel ipſa ignorantia inuita

in errorem præcipitans. In quibus niſi ſtoliditas, & læſum iudicium excuſaret, multis modis plectendus foret. *Chronologiam Etruſcam ſuppoſititiam eſſe*; *quia cum aliis non concordat:* rectè aſſeruit Allatius: *eaſdem falſas eſſe, quia conſentiunt Eccleſiaſticæ*, nunquam dixit: neque hîc opus oraculo Delphico, ſed helleboro, ad purgandum Sepulti cerebrum, ſi quid cerebri habet. *Martyrologium Romanum perperam factum, expreſſis verbis dici ab Allatio:* eſt expreſſum Latinè non intelligentis mendacium: *ſuppoſititias eſſe Antiquitates Etruſcas, quæ Martyrologij Romani computationi conſentiunt*; rectè affirmat, non quia hæc falſa ſit, *de qua vera ſit necne, non diſputat.* Sed quia impoſtor malis artibus, etſi aſinina inſcitia huic ſtuduit ſuam conformare, vt præuidiſſe videretur ante ſæcula Chriſtiana, quæ longè poſt in ea futura erant. Ecquis vnquam Prophetarum à Deo miſſorum tam diſertè nominis Chriſtiani meminit? Regem Iudæorum annuntiatum, & crucifixum, eiúſque

annos

annos in carne, quis tã expreſsè enũtiauit, *ne à calculo martyrologij Romani abducerentur Chriſtiani*, cui tantæ curæ fuit? Solus hic Balaami portitor, clariùs, & expreſſiùs omnibus vaticinatus eſt: præterita, & futura perinde præſentia habens, poſtquam nimirùm Martyrologij Romani putationem ſuis oculis vidiſſet impoſtor. Audi prophetantem, vel ſi mauis rudentem, & vnà in prædictione impingentem. *Non eſt*, inquit, *hoc diuinare futura, ſed notitia præteritorum*. Credo, quia nuper, aut paucis, ab hinc annis ſcripſit, niſi velimus ætate Catilinæ, & pridem ante fuiſſe iam Chriſtianos, & Martyrologium Romanum, quod nondum excogitatum erat, ab ipſis iam vſu receptum, & lectitatum. O vatem ſaxo, & ſerra dignum! præclara vtique notitia præteritorum, ſciſſe impoſtorem, quæ ipſe patrauit: rectè dicitur, non eſſe hoc *diuinare futura*, ſed cur oblitus ſui & Proſperi, ſibi mentem, Proſpero vaticinium tollit, cùm nihil maiori contentione agant

hæ Antiquitates,quàm vt Proſperum futurorum præſagum obtrudant:hoc paulò antè ſtolidus affirmabat Sepultus, Deum per Ethnicorum ſcripta ſenſum Eccleſiæ confirmanté inducens. Oportebat mendacem eſſe memorem,ne tam turpiter famam luderet. At ſaltem in animum demiſerit, non ita pridem in Vrbe, atque adeò in campo Floræ igne luiſſe, qui inter alia maiora poſt mortem Cardinalis Bellarmini edito ſcriptis vaticinio, literis Antiquitatem immiſit, die & hora mortis futuræ, tanquam ſi pridem ante præſciuiſſet, enotatis. *Non erat hoc diuinare futura, ſed notitia præteritorum*, qua tamen impoſtor Vatis nomen hamatus, in ſcelere deprehenſus arſit. Vide, Sepulte, ne Feſulanum damnes, quem ſimili implexum culpa, vel imprudens notas. Mendacium quippe diu nequit occultari,

Sed audiamus inter ſepulcra ſuſpirantem Academicum. *Quis ſcit num æterna prouidentia*, QVI *infirma mundi eligit*, &c. (parcè Lector, neſcit

enim

enim Latinè) *vt confundat fortia, ſenſum Eccleſiæ ſcripturis Ethnicorum voluerit probare, contra temerarios*; quorum dubio procul, primus eſt Allatius. Cur? nequit *ſine ſtupore* (rectiùs dixiſſet, ſine ſtupiditate, & ſtoliditate) *audire*. Quid tandem? *vera ſit necne annorum illa ratio*, &c. O rem admirandam! ab æterno decretum eſſe, vt contra Allatium Feſulanus iſte ſcribendo Antiquitates Inghiramianas Martyrologij Romani calculum defenderet, qui nunquam Martyrologij Romani pro ſententia, niſi prouocatus à Feſulani impoſtura meminiſſet. Cæterùm ſtupore, an ſtoliditate correptum animal, quid reponit Allatio enuncianti. *Annorum illam rationem à vulgata, quæ fidem diuinam facit*, &c. *multis paraſangis diuerſam eſſe*? Rectè proinde omnis alia putatio diuerſa, errore non vacat, & ad ſummum fidem humanam paucis facit, non verò diuinam, vt exiſtimat bacularius iſte Academicus, *cum horrore, & ſtupore* audiens, contradici calculo Martyro-

logij. O magnam religionem nihil hominis habentis! Non ſum neſcius, quæ veneratio debeatur dicto ante omnia alia Martyrologio, vbi de veritate conteſtanda in loco non agitur; nemo tamen, niſi numerandi ignarus, dixerit rationes vnde calculum duxit, ab antiquis ſine errore ad poſteros tranſiiſſe, vt rectè Auguſtinus *lib.* 15. *de Ciuit.cap.* 11. *&* 13. plus tribuat Hebraïcæ veritati, non vt Septuaginta interpretibus deroget, quia qui ex iis deſcripſerunt errore lapſi ſunt; niſi fortaſſe Feſulanus correctum ab iiſdem exemplar acceperit. Quidni enim ſicut ad Salomonem, & Oniam, ita etiam ad Ptolemæum Philadelphum legationem, cum duobus Dorchetibus miſerit Collegium Augurum: mentiar ſi hoc ſcripturus inter ſuas antiquitates non fuiſſet Feſulanus, niſi menti excidiſſet.

Quod vltrò obſtrepit Sepultus: *Allatium damnare opinionem tot ſummorum Pontificum* &c. vitium eſt non intelligentis vulgatam editionem, nec

nec Patrum, Conciliorúmque decreta, & vno verbo vltra crepidam ſapere volentis. Docti cum Allatio ſcientiam ſibi ſeruant, vſum aliis concedunt, probántque. Hæc ſatis ne Lignyphagus iterum ad campum Floræ prouocet: ego mitiùs ablegarim ad morotrophium.

§. *Al num.* 114. *Dopo hauer.* Pag.19.

Allatius hæc figmenta amouet, nedum ab ingenio Guglielmi Poſtelli, verſuti alioquin & fingere callentis: verùm etiam à Thomæ Inghiramij cognomento Phædræ, doctrina, & ſapientia; quam non ita pridem Romana Curia, velut in Theatro ſpectauit, & probauit; cuius ætate recentiores iudicat haſce Antiquitates. *Et vtinam*, inquit *non recentiſſimæ ſint.*

Hoc dictum Latinè ignarus Sepultus, venenorum amariſſimum, quod huc vſque propinatum eſt,

Inghiramio cenſet: *Vt* ſcilicet, *vltima reſpondeant primis.* Alludit ad Dedicatoriam, exiſtimans Allatij opus eſſe. Ita cæcus de colore, & Latinè expers ſtilum à ſtilo non diſcernit: neque hoc loco diiudicat, quid diſtet laus à vituperio. Quamobrem addit. *Allatium non mereri reſponſionem, quia nullam dicti ſui affert rationem.* Prorſus inſtar illius apud Hieroclem, qui non perfunctoriè pulſatus noluit repercutere occlamans, ſe peti ictibus non ex præcepto artis vibratis, cùm interea iis crebrò repetitis, vehementer eiularet. Cæterùm pro Allatio totus liber loquitur & argumenta à Sepulto non ſoluta præclarè atteſtantur. Addit Lignyphagus, non facilè ſe diſcernere quid magis deplorandum ſit in Sepulto, cadauer eſſe, an Latiné ignorare; hoc altero magis fœtet, nunquam aliàs dicturus, *diſertè hòc loco tantum puta ſemel enuntiaſſe Allatium*, quod is initio ſuæ diſſertationis, ſatis explicatè inſinuauit illo Virgiliano, *non bene ripæ creditur, etiam nunc vellera ſiccant.*

Verùm

Verùm quî Poëtam capiat, qui proſam non intelligit? Et planè ſtupidum eſt, ex tribus verbis in fine, coniectare de mente Allatij quid ſenſerit, cùm toto libro aliud nihil egit, quàm vt Antiquitatum harum figmenta premeret, verſaret, extra veri fines proſcriberet. Meliùs dixiſſet Sepultus, non quidem Allatium, ſed ſeipſum tandem ſignificare, quùm nihil hactenus ex toto libro Allatij Latinè intellexerit.

Iactat ſe nihilominus in ſuo cœmeterio Sepultus, aítque Allatium *duas difficultates cautè declinaſſe, quæ alioqui præcipitem egiſſent, antequam pronuntiaſſet*, Vtinam non recentiſſimæ ſint. *Altera eſt euidentia facti, de qua Inghiramius multis ad Nogheram. Altera diſquiſitio Aſtronomica Vinctẽij Reneri Oliuetani, qua certitudine Mathematica oſtenditur, non poſſe Antiquitatibus hiſce quippiam falſi ſubeſſe.*

Sed verò quoad Primam; nulla certior euidentia, quàm quæ factum oſtendit ab impoſtura, in qua premenda verſatus eſt Allatius: ſi quid

excepit, Renerus, fortè libellus, vt reiiceretur, Allatio non eſt viſus: neque enim eius moris eſt Schedas quaſcunque, & pittacia in foro conquirere, nequæ Pharmacopæorum, aut Salſamétariorum tabernas obire, & his damno eſſe, dum horum vſui ſeruiunt aptiùs, quàm eruditorum lectioni. Accedit, Allatium omnibus & per omnia reſpondiſſe, etiam iis, quæ in poſterum à defenſoribus Antiquitatum quocunque artificio obtendi poſſunt. Quæ ſi Sepultus ad horam vixiſſet, inſpexiſſet, minùs fœdè aſtruxiſſet Allatium non reſpondiſſe. Et mihi ſanè religioſum fuiſſet Sepulti *Schediaſma* lubente quamuis domino tollere, niſi exiſtimaſſem inde mé partes Inghiramij acturum, & expectationi Viennenſium Procerum reſponſurum. Addit Lignyphagus, iniuriam fieri mendicis, ſi putent folia eiuſmodi inſcripta ſuis cantilenis proponi, & obolum perdant.

An verò, vt cautiùs agam, contra vulgatam editionem Mathematicè

quiſpiam

quiſpiam demonſtret? An etiam in deliris quibuſdam Feſulani dictis paralogizet? *Alicubi*, inquit, *cùm tuæ ſint ſcripturæ, ſcito opus tibi eſſe, ad eas inueniendas auxilio amici, & patris, nam id aſtra nudiuſtertius demonſtrarunt. Nam hæc tria aſtra Caris, Mor, & Turg ſimul coniuncta vidi.* Bellè vero quæ maioribus noſtris, non ita multa ante ſæcula Paganis, Idolorum vocabula fuerunt, hic ad conficta in Cœlo aſtra tranſtulit; niſi quod in primo deſcribendo, prudens an imprudens errarit, vt pro Garſt. ipſi Caris diceretur, ita poterat, Norum, vel Maurum,Turgum,vel Turcum efformare, vt propiùs aliquid Romanè, vel etiam Etruſcè, & non Saxonicè ſonaret. Sed quæſo, quo tandem themate tam callens Aſtrologiæ, quàm ſtolidi peritus Augurij, tria hæc idola in aſtra conuerſa, coniuncta vidit quo ſigno, & cuiuſmodi ea Synodus, vt non temerè, & ſæpiùs occurrat? ſcilicet ab æterno ſemel celebrata, vt trium horum, *patris, filij, & amici* concordiam in-

inueniendo deſignaret : cur non etiam ſeruum, cur non tres fratres, amicos, aut ſaltem eiuſdem ciues loci, tametſi non cognatos indigetauit : certè ad trinum, vt ita dicam hoc indiuiduum, anxiè detorquere, laborantis nota eſt phantaſiæ. O inſignem obſeruatorem, *nudiuſtertius, tria aſtra coniuncta vidi.* Rectè Lignyphagus, bene potum vidiſſe, ait, exemplo genuino; quoties enim Baccho largiùs indulget, toties rotato cerebro, & ſcintillantibus fuliginoſis oculis, quidquid ſyderum eſt infra ſe cernit, neque ſolùm, ſed terram iuxta ac figuli rotam verſari ſentit. Verùm animaduerte, & hanc alteram inſcitiam. *Vidi*, inquit Feſulanus, *ex Aſgariis fulguribus, quod omne Scharith, quod ex duplici cortice conſtat, quò pretioſiora in huiuſmodi Scarith, habentur, niſi tu amicus, & pater adfueritis, non inuenientur*: Et qua obſecro arte, id ex Aſgariis fulguribus obſeruatur? Eadem planè qua ex tribus aſtris præſenſit ſtramineus Aſtrologus, & fungi Augur. Taceo

reliqua

reliqua deliria, quæ vel anus ad colum in fabellis vetent: mirum nihil etiam ex ventis calidè reflantibus iuxta Accurſium olfeciſſe. Non fuiſſe hunc aſinum Æſopo notum addit Lignyphagus, alioqui ex Aſgariis fulguribus præuidentem, non commutaturum fuiſſe hortulanum cum figulo, & hunc cum coriario.

Erit fortaſſe, & dictum illud pag. 272. ſciolis myſterium, quo aſtra ad votum inflectant. *Id cùm de te auguria caperem, cognoui ab aſtro, quod Arthon dicitur, quod in defectu Lunæ Veneri iunctum penè erat.* Scilicet huic ſtolido auguria capiebantur ab aſtris. Et quod aſtrum eſt *Arthon*? Si ex Græcis venandum, niſi in orthographiam impegerit, panem in Cœlo vidit. Si *Arthron* emendes; Augurem malè à ſuo patre didiciſſe linguam Græcam argues, longè peius aſtronomiam, nec ritè inter Scribas Collegij aſcitum, qui ſcribere non nouit; ſed quod tandem aſtrum dicitur *Arthron*, hoc eſt iunctura ſeu articulus? nam ſi imagina-

riam

riam partium iuncturam intelligas, vix eſt conſtellatio, quæ aliquam non admittat, ipſa tamen nec iunctura, nec aſtrum eſt, multò minùs ſeorſim ſpectata, aliquod aſtrum hoc nomine cenſetur. Sed neque ex Hebraïco rectè aliquid attuleris. Suggerit Togatus num fortè Arcton dicere voluerit. Verùm huic nemo niſi ebrius Venerem coniunctum in defectu Lunæ, videre potuit. Imò ſubiungit Lignyphagus, illa tria aſtra, quæ in huius cauda exiſtunt, vidit in articulo natium Vrſæ coniuncta, ſaltem non multo interuallo: Eadem ego ſæpe ex caminis ſeruaui, neque tamen ſciebam Caris, Mor, & Turq vocari, quibus ferè vocabulis Zingari vtuntur, quando nobiſcum digitis micant. Apage ridicule, cum hoc tuo placito aſpectu. Sed amabò, ſeriò, quidnam ſeruauit cùm auguria caperet Feſulanus? Ex antecedentibus liquet. *Si nimirùm has ſcripturas aliis concedat, aut permittat, vt aliquis in illis partẽ habeant, præterquam præſcriptum ab eo eſt, futurum, vt*

& inuentor, & pater eius moriatur. Sed quid de amico? Rectè proinde fecit Vulterranus ille, nullis exoratus precibus, auróque poſtquam Romæ reiectus eſt, vt cuiquã oſtẽderet. Rectè Cardinalis Barberinus, longè à ſua Bibliotheca eſſe iuſſit, ne ſtrages librorum, & hominum fieret. Hoc enim cum Auguria caperet Feſulanus cognouit ab Aſtro Archton. Quid huiuſmodi augurio, quid augure ipſo dementiùs, tu videris Lector, & cætera expenderis. Conſultiùs profectò lupus in fabula ex ioco medicum ſe profeſſus eſt, tametſi aſini calce percuſſus mercedem tulerit, quàm Feſulanus iſte ex impoſtore Augurem, & Aſtrologum mentitus omnium riſu, & ſannis meritò impetendus. Et tamen erit fortaſſe aliquis inſulsè feriatus, qui hæc ſtercora pro vnionibus venditet, ac vt ille nato apud Melitas ſimio, tellure peregrina, thema cœleſte conſtruat? Regem futurum vaticinetur?

Concludit tàndem Sepultus, *fe-*
ciſſe

ciſſe Allatium in euertendis hiſce Antiquitatibus, quod olim Caius Cæſar: hic ſcilicet in expeditione maritima de Conchis triumphauit: planè & ille ſales, & ſcommata parum digna reportauit, perſiſtentibus interim in Arce Scornelli inuentis Antiquitatibus iſtis.

Sed enim Caius Conchas, Spolia Oceani Capitolio, Palatióque debita cenſuit. Idem verò qui memorias Illuſtrium ſubuertit, & monumenta multorum ſcripta, Homeri, Virgilij, Titi Liuij, aliorúmque à Bibliothecis longè eſſe conſtituerat, quin has Antiquitates Inghiramias in cloacam, aut latrinam aliquam abdi iuſſurus fuiſſet, dubitari vix poteſt.

ſ. Per il mio poco talento. Pag. 20.

SI vbique in tota hac tractatione parum certè in fine Sepultus nihilominus ſapit, *& ſi talento, & libris defectum meritò ſe excuſet:* vtrumque indicat ratio, & ſtilus argumentandi:

quid

quid ſi Latinos libros ad manus habuiſſet? Præclaras vtique de Romanis exuuias reportatas vidiſſemus. Eſt tamen aliquid talenti, currenti manu, tam multa non cohærentia adſtruere, quæ vix alius vel magno ſtudio facturus ſit, paucis quippe conceſſum, calamo præuertere mentem: hanc ille apud Inghiramium depoſuit, ad cuius tractatum totum mundum remittit, de omnibus in præſenti controuerſia plenè docendum, & conuincendum. Ita diſputator ille Attellanus, Doctoris gradu in ſcena initiandus; cùm nihil ad rem diceret, habere ſe domi librum aiebat, quæſtionum propoſitarum ſolutionem continentem, cui tamen aperiendo & legendo, nunquam ipſe animum inducere potuiſſet, proinde vt ſe excuſatum haberent, orabat.

Suggerit Lignyphagus, ſi tractatus ille melior non eſt, epiſtola eidem Inghiramij ad Nogheram, & hac Sepulti ad nullius nominis hominem ſcripta, vt neſcias mas ſit an fœmina, viuum animal, an mortuum, profectò

ſatius

ſatius eſt illum culeo magis piceato, & bituminoſo, quàm ſint Scharith Antiquitatum inſuere, & in profundum terræ cum Sepulto recondere, quàm prouocatis Orbis vniuerſi oculis ludicro iudicio de ſe ſpectaculum præbere. Addit hoc loco Togatus Inghiramium bonæ indolis iuuenem eſſe, ſed nondum ad ferendum de ſapiẽntum ſcriptis iudicium maturæ, proinde expedire ſi quieſcat, hanc profeſſionem peritis relinquendo: ſuo tempore, ſi tamen plus lucernæ, & olei conſumpſerit, fore ei fortaſſe facultatem ſcribendi appoſitè. Sed niſi id faciat Latinè (interpellat Lignyphagus,) vt doctorum, & eruditorum voto reſpondeat, næ Sepultus falſus vates fuerit, nec opus erit Allatij, aut Bennonis Durkhundurkhi Latinis in barbarè dicta animaduerſionibus; (niſi & iſte Slauica vel Laponica lingua ſcribere amet, vt barbarus ſit barbaro iuxta dictũ Apoſtoli.) Ego & ſocius meus Capnolauus cum collegio, ſeu Academia noſtrorum Fumoſorum Verritorum damnabimus

nabimus malè ſarta, huiuſmodi, & indocta nugamenta,folia fæce,amurca, & cloacæ digniora, quàm noſtra fuligine. Quin & Sepulti,conſtitutis lacertoſis Veſpillonibus funus adeò profundè curabimus,vt non amplius facilè emerſurus ſit in auras, & graueolentia peſtilentiam ignorantiæ bonis litteris immiſſurus. Sed ecce optatus adeſt Capnolauus. Salue Capnolaue, vbinam verſari me exiſtimabas, dum runcinantem, & clamantem è camino non audiſti? Cogitabam,quod moris eſt tibi, latitantem in tabernis, vino fauces fuliginoſas diluere: quid verò hic in Muſæo? O Capnolaue riſeris, interpres Toïſcani ſermonis rogatus, operam huic,quem vides, generoſo Domino Bennoni locaui.Tu qui legere neſcis, interpres? hoc vnum talentum mihi deeſt, ô Capnolaue,alioquin Dominum Bennonem ſubleuans, ipſe ego ſcripturus eram in Sepultum quemdam Academicum Latinè ignorantem: qui propterea Toïſcanicè, vt de ſe fatetur, ſcripſit: neſcio quàm
rectè

rectè ego interpretis officio functus ſum, tu modò in gratiam Domini Bennonis videris, quàm is Sepultus congruè Toiſcanè ſcripſerit. Scio enim te callentem eius linguæ, vt qui Florentiæ & Senis triennium, cloacis, & caminis purgandis impenderis, & plura hoc genus folia inſcribillata detexeris: faxo quod mones D. Bennoni placiturus.

Legi, heu quid quiſquiliarum hæc Tuſcana Lingua? quàm Afer iſte verius vel Ægyptius erro, quam Italus barbara barbariorem facit: & tamen audet dicere *Lingua noſtra Tuſcana.* Hanc vtique non in Academia Florentina, vel Senenſis, ſed in fæcutinis culinariis, aut ceramico Albaniæ hauſerit. Ecqui congruè quauis tandem lingua ſcribat, qui nec genera, nec numeros, nec caſus diſcernit, ſexcentis huiuſmodi ſcatet hic cucullus nauticis elegantiis. Vultis experimentum in paucis? Initio maſculinum, & fœmininum perinde ſumit. v. g. *V. ſignoria* eſt fœmininum, & paulò poſt *accennarli*, maſculi

maſculinum articulum præfert, velut ſi dicas *tuo Dominationi ſignificare.* O Lectiſſimam elegantiam: Et in fine *gli baccio le mani*, cùm cohærenter principio dicendum eſſet *le bacio le mani.* Sed neque nouit ſuos ſubſtantiuis articulos annectere; quoties enimuero relatiuum hoc *Quale*, ſuo deſtituit neruo! *Quale l'Allatio, qual proceſſo, quali ſomme raccolte, qual non ſo come quale ſe foſſe fatto à capricico*: quod ne obolarij quidẽ apud nos magiſtelli comittant. Quid verò ſi liberalior factus articulos admittat? Tam non loco ſuo ponit, vt Sinenſem recèns conuerſum loqui putes: huiuſmodi phraſes ſunt *per il decreto*: cùm Etruſcè dicendum foret, *per lo Decreto*, *con il computo*, pro *co'l computo*, *ne ſcogli'*, pro *ne gli ſcogli*: neque enim Etruſcè ſonat *i ſcogli per i fondamenti*, pro, *per li fondamenti.* Quid ampliùs? *li tempi*, pro, *i tempi*, *con il ſommare*, pro *co'l ſommare: delli moderni*, pro *de' moderni*: *per il mio*, pro *per lo mio.* Tædet me arrogantiæ ſcripturientis, in his elemen-
tis

tis ceſpitantis: tantam ignauiam in Triuio, ſi pueri virgis eluunt: quid Sepulto reliquum ſit viderint Academici. Qui ſi vlterius animaduertant errare eum præterea in coniugationibus verborum, nec primam à ſecunda diſcernere, meritò quamprimum præſcribendum imperſonalem, quod dicitur, facturi ſunt. Hinc illa *habbino*, *ſi coño ſchino*, *eccedino*, pro *habbiano ſi connoſcano*, *eccedano*. Item *mancorno*, pro *mancarno*, vel *mancarono*: *reſtono*, pro *reſtano*: *adducano*, pro *adducono*: *ſentiſi*, pro *ſentaſi*, & plurima id genus, quæ niſi vos excipiatis, mihi manus runcinæ magis quàm calamo aſſuefactæ fatiſcunt: vos ergo reliqua me dictante enotate. Hic ego non ſine admiratione: Ergo author huius Epiſtolæ, non minùs de Latina, quàm Etruſca lingua malè meritus, duplici ferula iuxta morem noſtrorum Triuiorum vapulet neceſſe eſt? Quid verò ſi non author, ſed amanuenſis, aut etiam typographus errarit? Quaſi verò, inquit Capnolauus, nónne authoris

thoris erat,& ſcriptum, & typo datũ relegere corrigere? Solet plerumque nonnihil erroris & ſcripto, & prælo irrepere,ſed in contextu apparet, ab ignorãtia proficiſcatur,an mente feſtinante. At enim toties impingere, aliam excuſationem æquiorem haud admittit, quàm ſi dicamus authorem merum fuiſſe ſcribam,neque hunc ex optimo genere,ſed quales eſſe ſolent foranei exceptores,nullo ſtudio lecti, dũ qualeſcunque characteres ducant; vt his non tam fortuna ſit orthographicè ſubinde ſcribere, quàm vitium, virtus verò grammaticam procul habere? At excipit Lignyphagus; Dicemus potius *ruſticitatem* ſeruaſſe ſcribendo Etruſcè, qualem is dixit vſurpaſſe priſcos Etruſcos Latinè loquendo. Per me,reſpondit Capnolauus,voces vt vis,ego quam in claſſem reponam ſequentia, ignoro. Etruſcè profectò, ſi de hodierno ſermone loquamur, non ſonant, niſi fortaſſe Volterræ noua emerſerit Sepulcrorum Academia, huiuſmodi phraſium officina. Ecquis enim

Etruſcé

Etruſcè dicat in prima perſona *haueuo*; Item *parſo*, pro *paruto* : *perſo*, *gremito*, *ſucceſſo* pro *perdutto*, *ghermito*, *ſuceduto* : *viſta*, *viſto* pro *veduta*, *veduto*. Denique *deua*, pro *debba*. Non neſcio interdum *viſta*, *viſto*, *ſucceſſo*: & id genus vſui eſſe verſificantibus: Verùm quid hoc ad proſam Sepulti? Vnde ei hæc auctoritas ac licentia, vt perinde ſit adſtricta, & ſoluta oratio? niſi quia in neutra verſatus eſt : imò vix elementarius. Vnde præterea habet in viuorum Academiis, vt cùm cauſam finalem ſignificare velit, vtatur ſolitaria particula *Acciò*, non adiungendo hanc velut enclyticam *che* : iterum vt cùm debeat dicere *di naſcimento*, vſurpet *di naſcita*, quo enimuerò auctore in Etruſcis claſſico? nam vt id aliquando Danti acciderit, ſicut etiam Petrarchæ, *adeſſo*, *per adeſſo*, neutrum horum vidit Sepultus, quo ſe tueatur, nemo tamen alius, qui familiam ducit, probauit, vt neque Boccacius. Hæc modò, Domine Benno, ne notæ in commentarium euadant,

ſi

ſi ſingula ad regulas adducamus, quando nulla linea ferè mendo vacat, vt in limando non minus laboris fuerit, ſi hæc cogitet, quàm in ſignandis Inghiramiis Antiquitatibus. Par in vtríſque ignauia, niſi poſt inuentum, maior etiam in Sepulto inuentis addere neſcienti: qui cùm Latinè parum, aut nihil, Toſcane autem, vt ſic dicam, perquàm corruptiſſimè ſapit, qua lingua in poſterum vſurus ſit, dubitari poteſt. Aut opinor prorſus (cum honore) tacebit, aut ſi pruritu reſpondendi prouocetur, antique Etruſce, planè ad noemam, Antiquitatum Inghiramiarum, in grandia myſteria, linguam & calamum exacturus eſt, fabulando propius crede, quàm fando: felicem enimuero tum Inghiramium, opportunè ſcilicet nactum ſocium, qui cum nouis hiſce nec vnquam veris hiſtoriis, nouum quoque genus fandi commentus ſit. Et ſanè præſtabat vtrique nec Latinè, nec Italicè conari, ſed priſca Etruſcorum lingua, quidquid tandem libuiſſet

fingere, pauciores futuri erant in Orbis theatro deriſores. Nam de cetero, quod ſaltem ſpectat ad Sepultum, tam eſt Latinè, vel Etruſcè gnarus, (interſerit Lignyphagus) quam ſimius ille homo putatus Athenienſis, quem iccircò merito ob mendacium in mare demerſit delphis exemplo prorſus ad harum Antiquitatum impoſturam opportuno, etſi plures in his ſe offerant ſimij.

En mi Domine Benno, morem geſſi tibi primùm, poſtea ſocio meo Lignyphago Academico fumoſo; reliqua tu perfeceris; nobis plures reſtant camini in hac vrbe verrendi. Imus; ſi quid tamen noſtrâ operâ in poſterum vti voles, vbiuis gentium, ac præſertim in Italia commodabimus; nec quippiam nobis lucri decedet; perinde enim erit, ſiue fuliginem detegere, ſiue huiuſmodi malè ſcriptorum quiſquilias depurgare. At ego, inquit Lignyphagus, hoc Sepulti folium mihi lucro accedere velim D. Benno, ſi tibi lubet, erit vſui in itinere ſi fortè fœnum & herbæ

deſideren

deſiderentur. Vale; Vos quoque valete.

En quid mihi luctæ fuerit, nec facile eluctaturus eram, niſi duorum hoc generis Academicorum, Lignyphagi, & Capnolaui officio ſubleuatus, quos demum epulo ſaginatos, & vltrò addictos, donata præter chartam Sepulti, lagena vini meracioris lætos dimiſi: id verò illis gratiſſimum fuit, vt fiſtula purgatiore in editis, quales hîc haberi ſolent, caminis clamitarent. Et hilarior Lignyphagus, ſcripta Sepulti, excitis ad audiendum populis decantaturum recepit. Cui Capnolauus, Id potiori iure de Antiquitatibus Inghiramianis faciendum fore; cùm nemo fuerit, quid vltrò, non ſolùm aures arrexerit, ſed etiam cantaturis argentum porrecturus ſit, vbi longè ſelectiora, quàm de Gigantomachia priſcorum, accepturus eſt. Actum erit de Heſiodo, Homero, aliorúmque vetuſtis commentis hæc fragmenta inſtar omnium erunt; quid ſi te Lignyphage, tam ſuaue incantanti

potiùs quàm cantante Caligula, repente ex Inferis prodeat, & damnatis vniuerſi Orbis, hiſtoriis, pro ſolis antiquitatibus Inghiramiis legendis, cantandis; decernat! ſed imus, ne ridiculis aures D. Bennonis oneremus. Hæc Capnolauus,

At ego præterea, Sepulto dictum velim, niſi melius aliquid, & Latinè attulerit, ſatius erit in ſepulcro latere, vel ſaltem in cœmeteriis errare; ne extra cancellos ſpectris illudat: alioquin non meo calamo, ſed alieno malleo adiurandus; vt ſi quæ adhuc oſſium ei compago remanſit penitus diſtringatur. Quod ſi Proſperi forſan Feſulani miraculo aliquo cum nouo ſcarith, viuus emergat, & inter homines humano modo viſibilis agat, & aliquid eruditi pro re afferat, par menſura cum demenſa gratia rependetur. Interim valeat inter plures, & quietè dormiat, ſuffragiis, ſi optet, adiuuandus.

Hactenus, perilluſtris Chriſtophore, habes, quæ pro otio legas, & intermiſſum literarum officium

abundè

abundè compenſatum fatearis. Id ſæpiùs futurum tibi perſuadeas, dum ſimilia ſe ſe offerant argumenta, & excuſabis opinor perlubenter, ſi modum epiſtolarum exceſſero; in te enim amando, & colendo modum mihi ſeruandum non exiſtimo. Craſtina ad montem Cæcium perrecturis, & abdita opum tentaturis, quid naſcetur, mus ridiculus, an formicæ theſaurum cuſtodientes, vt contra Inuentores Antiquitatum pugnatūros accerſamus, aliis te certiorem reddam; vnum id tibi perſuadeas amabo, nullo ad hanc rem mihi vſui eſſe Etruſca hæc fragmenta: quædam alia ſecretiora, quæ nec Feſulanus intelligat, præſto erunt, ex eorum vatum monumentis, quos olim Anglia, Noruegia, Suetia, cæteræque partes magis Aquilonares coluerunt. Tu ſi quid aliud ex Italia, vel aliunde Latini accepetis, quod ad orexin facit, mitte quæſo: nihil tamen Italici, Hiſpanici, Gallici, ne multis conducere cogar verritores, veſpillones, fartores, qui patria lingua

gua mihi reddant, nec fortaſſe genuinum ſenſum aſſequantur. Vt hac gratia, ſi quid minus rectè in præſentiarum animaduerſum eſt; non mihi, ſed Lignyphago adſcribendum ſit, qui Tuiſcanici idiomatis peritum ſe teſtatus, fidem vel eo maximè fecit, quod ſe Collegij ſui Oppidi, probarit Dictatorem, ex quo tametſi legendi, & ſcribendi ignaro, ſcribæ & notarij, ſententias excipiant: atque etiam vbi à caminis verrendis vacat, officio ſe fungi, Capnolauo teſte, affirmarit. Vale, & me, vt ſoles, ama.

Perilluſtris D. T.

Addictiſſimus Benno Slauus
Durkhúndurkhus.